

INTRODUCTIO

1 De Zacharia Ferreri nuntio eiusque sociis.

Zacharias Ferreri a. 1479 modesta nobilium familia Vicetiae natus est¹. Iuvenis, litterarum Latinarum studio raptus simulque natura inquietus, de improviso, dum Patavii discendis litteris operam navabat, animum induxit, ut eiusdem civitatis abbatiam Benedictinorum, divae Iustinae sacram, intraret regulamque s. Benedicti amplecteretur. Deinde cum semel atque iterum inde abire frustra temptaret, anno tandem 1504 ordinem istum omnino dereliquit et Romam demigravit, ubi postquam doctoratum utriusque iuris et theologiae consecutus est - domesticus pontificius et abbas commendatarius Montis Subasii a Iulio II est creatus. A. 1508 eum Venetiis fuisse notamus, ubi vitam monasticam, nunc tamen apud Cartusianos, iterum pertemptabat. Sed hic quoque cum sodalibus concorditer vivere nescit, propterea ad votorum professionem non admittitur et a. 1509 Bononiam commigrat, ubi, contumelioso libello contra Serenissimam Rempublicam Venetam exarato, inter apertos eius hostes declaratur. A. 1510 Mediolani commoratur ibique in ministeriis regis Galliae eum esse videmus. Fuit quoque unus ex sollertissimis participibus et acerrimis defensoribus pseudosynodi Pisanae, quae a. 1511 a Ludovico XII Galliarum rege contra Iulium II indicta erat. Quam ob rem in excommunicationem incurrit, quam summus pontifex in consistorio 13 II 1513 celebrato ei inflxit. Post mortem vero Iulii II et schismatis repudiationem, occasione electionis novi papae Leonis X a. 1513 peractae, Ferrearius repentino ad bonam frugem se recepit et pulcherrimum sane carmen suum, "Lugdunense somnium" inscriptum, composuit, quo 1030 hexametris pontificem maximum gente Medicea procreatum, cuius electionem sibi in somnis apparuisse contendebat, summis laudibus extollit. Die 11 XII 1513 a. veniam pontificis consequitur et prioribus officiis ac dignitatibus curialibus restituitur. A. 1516 nominatur episcopus titularis Sebastenus in Palaestina (consecrationem tamen episcopalem usque ad a. 1518 differebat) et a. 1518 creatus est praeterea commissarius pontificius Nursiae in Umbria. Etiam

¹ Quod Ferrerius ficte et fallaciter gloriabatur de vinculis necessitudinis cum familia s. Vincentii Ferrer sibi intercedentibus, id omni fundamento caret. Quia tamen iactantia sua ipsum regem Sigismundum I quodammodo seduxit atque decepit (cfr. infra, Ferreri N. 52).

cum secundo Romae moraretur, mira quadam adulandi arte et singulari industria in comparanda sibi pecunia eum eminuisse perspicimus².

A. 1519, ineunte mense Septembri, cum Petrus Flores, episcopus Stabiensis, huiusmodi munus accipere recusasset³, Ferrerius nominatus est nuntius pontificius ad Sigismundum I regem Poloniae, magnum Crucifero-rum magistrum Albertum et magnum ducem Moscoviae Basiliū III⁴. In mandatis imprimis habuit, ut eos inter se conciliare studeret, ita ut deinde communi bello adversus Turcas gerendo accedere possent (sed ad Basilium quod attinet, spes etiam erat unionis Ecclesiae Ruthenae cum Romana in-eundae, ad quam magnus dux Moscoviae animo satis propenso fuisse crede-batur). Propter hanc nominationem Ferrerius 5 IX 1519 a. a sede titulari Se-bastena ad residentialem Gardiensem in Regno Neapolitano sitam translatus est⁵. Praeterea die 15 IX 1519 a. commissum est ei, ut processum canonisationis principis Casimiri Jagellonidis Vilnae perageret⁶. Diebus 28 X - 1 XI a. 1519 novo nuntio tradita sunt omnia scripta seu diplomata, quae in-de a temporibus Leonis X summi pontifices nuntiis residentialibus porrige-re solebant, scil. instructio ab ipso pontifice subscripta, facultates legati a late-re sive potestas exercendi iurisdictionem, conferendi beneficia et impartiendi gratias et indulgentias (in Lithuania et Moscova, quae 7 VII 1520 a. ad Po-loniā quoque extensa est), necnon notae secretiores seu cifrae, quibus ora-tores publici in suo epistularum commercio uti consueverunt⁷. Accedebat mandatum, quo praecipiebatur, ut nuntius de omnibus negotiis sibi commis-sis summum pontificem crebro et accurate certiorem redderet⁸. Si adiunga-mus praeterea certum statumque salaryum, 2 XII 1519 a. ei assignatum, scil. medium partem proventuum dioecesis Gardiensis, cui ante discessum suum omnino renuntiaverat, servato sibi tantum episcopali titulo (qua ta-men dioecesi accepta certa pecuniae summa cessisse videtur)⁹, sine dubio af-firmare possumus Ferrerium nuntium apostolicum fuisse sensu huius verbi

² Post libros B. Morsolini, qui vitam Ferrerii accurate et summa cum adoratione descripsit, laudi-bus efferens imprimis eximium eius, ut putabat, in scribendo ingenium et facultates (cfr. op. cit. et eius-dem, *L'abbate di Monte Subasio e il Concilio di Pisa (1511-1512). Episodio di storia ecclesiastica*, Venezia 1895 et *Un Latinista del Cinquecento, imitatore di Dante*, "Atti del R. Istituto Veneto di Scienze, Lettere ed Arti", Serie VII, T. 5, 1893/4, p. 1428-1446), acerrimum vitæ eius existimatorem et vituperatorem se exhibuit et multas fictas ac commenticias fabulas de eo scriptas dissipavit A. Ferrajoli (cfr. op. cit.).

³ Vide infra, p. 6 et 36. Cfr. breve Leonis X ad Ferrerium, 12 IX 1519, AV, Arm. 39, ms. 37 f. 69v-70r.

⁴ Vide infra, N. 2, 4-5, 9. Cfr. Pierling RSS I, p. 170-174.

⁵ Vide Gulik-Eubel HC III, p. 206.

⁶ Vide Ferreri N. 3. Fusius de hac re apud Wojtyska PKSK, p. 214-217.

⁷ Vide Ferreri N. 9-11, 28.

⁸ Vide finem instructionis, infra p. 17.

⁹ Reg. brevis olim in AV, Arm. 39, ms. 33 f. 232r (perit; hanc notitiam ex vetere inventario haus-i-mus).

nostris temporibus vigente, instar aliorum, qui tunc Venetiis, in Gallia et Hispania munere suo fungebantur.

Quod 2 XI 1519 a. Ferrerio socius et comes adiunctus est Ioannes de Tedaldis, summi pontificis consanguineus, Alexandro Ferrajoli ansam dedit ad suspicandum, papam nuntio suo, propterea quod schismati favere olim non est veritus, non satis esse confisum¹⁰. Quae coniectura eo etiam comprobari videtur, quod Ferrerius 30 X 1519 a. prioribus poenis et censuris ecclesiasticis denuo absolutus est¹¹. Videtur tamen non minoris hic fuisse momenti petitio Sigismundi I, ut in Moscoviam persona saecularis mitteretur¹², et Ioannis de Tedaldis non vulgaris linguae Polonicae et rerum Polonicarum cognitio ac peritia, de qua in nominationis suae diplomate sermo occurrit¹³. Florentina enim gens Tedaldiorum iam inde ab altera saeculi XV parte cum Polonia satis arcte coniuncta est. Nam Arnulfus de Tedaldis erat zupparius Premisiensis, frater autem eius Lactantius, pater Ioannis, astronomus et secretarius Laurentii de Medicis, cum Callimacho quoque consanguinitate coniunctus, amicitia et necessitudine utebatur Matthiae Drzewicki, episcopi Premisiensis, postea Regni Poloniae primatis. Cui a. 1507 Lactantius commendabat Ioannem, filium suum adulescentem (24 I 1495 natum), qui in Polonię proficiscebatur, non solum ut partem hereditatis a defuncto patruo suo Arnulfo relictam acciperet, sed etiam linguam Polonicam et "mores Sarmaticos" cognosceret et, ut scribebat pater, ad usum Polonorum cumulatius coalesceret¹⁴. Haec igitur linguae et morum ac consuetudinum Polonicarum cognitio, quam Tedaldi tunc temporis sibi comparaverat, Ferrerio in obeundo munere suo non parvo adiumento esse debuit. Pridie profectionis in Polonię, summus pontifex, ut gradum dignitatis eius augeret, contulit Tedaldo, qui homo laicus erat, titulum militis aurati.

Initio mensis Decembris a. 1519 oratores magno comitatu iter in Polonię ingressi sunt¹⁵. Die 22 eiusdem mensis pervenerunt Venetias, ubi ipsa Vigilia Natalis Christi Ferreri causam missionis suae in Consilio Seniorum

¹⁰ Op. cit., p. 100.

¹¹ Cfr. infra, Ferreri N. 8.

¹² Cfr. infra, Ferreri N.1.

¹³ Cfr. Ferreri N. 12.

¹⁴ Lattanzio ad Drzewicki, Florentiae 9 X 1519, reg. BV, Barb.Lat. 2031 f. 135r. Ibidem in f. 120r-v litterae Drzewicki ad Lattanzio de 13 IX 1507. Plura de vinculis Tedaldiorum cum Polonia vide apud Ptasińk, p. 64, Quirini-Popławska ZDWP, p. 195-196 et Józef Garbacik, *Kallimach jako dyplomata i polityk* [Callimachus tanquam homo politicus], Kraków 1948, p. 130. De necessitudine eius cum Drzewicki cfr. Henryk Rybus, *Prymas Maciej Drzewicki. Działalność w diecezji przemyskiej (1504-1513)* [De Matthei D. opera in dioecesi Premisiensi praestital], Warszawa 1968, p. 43, 234-236. Dies natalis Ioannis de Tedaldis exstat apud Ciampi BC III, p. 83.

¹⁵ Cfr. infra, p. 35.

palam protulit¹⁶. Toruniam vero, ubi Sigismundus I tunc morabatur, qui inde a Decembri 1519 a. bellum cum Cruciferis gerebat, nuntii venerunt 18 II 1520 a.¹⁷ et statim intercessionem suam inter regem et magnum magistrum Albertum incepérunt, quo eos tandem ad pacem ineundam adducerent. Cum nullum tamen in hoc pacificationis officio exitum felicem consecuti sint¹⁸, medio mense Iulio a. 1520 Torunia discesserunt: Ferrerius prefectus est Vilnam, ubi processum canonisationis principis Casimiri Jagellonidis peregit eiusque vitam scripsit et sub finem mensis Novembris primae synodo dioecesis Vilnensis praefuit¹⁹, Tedaldius vero Romam revertit, ut summo pontifici de bello inter Polonus et Cruciferos gesto coram referret et novas hac in parte instructiones obtineret²⁰. Paulo ante, iam 4 die Iulii, reliquit Ferrerium et alter eius socius, qui iam post adventum in Poloniā ei adiunctus esse videtur, scil. Antonius de Breves, Sabaudius, qui mandatu regis Poloniae per Romam in Galliam prefectus est²¹. Cum mense Februario a. 1521 nuntius in Poloniā ex Lithuania rediisset, interfuit ultimae parti tractatum Toruniensium, qui 4 IV 1521 a. quattuor annorum indutiis inter Polonus et Cruciferos conclusi sunt, in quibus tamen tanti momenti partem, ut antea, non habuit²².

Aliud magni momenti argumentum legationis Ferrerii, de qua tamen in instructione cautum non erat, praeter exspectationem facta est quaestio Lutherana. Ad primos doctrinae Lutheri et eius fautorum impetus, in Prussia et Lithuania factos, nuntius respondit 14 IV 1521 a. Toruniae publica crematione imaginis ac librorum theologi Vitebergensis, duriusculis etiam ad eum datis litteris et emanatis decretis, quibus diffusio et lectio eius operum severre prohibebatur²³. Quae omnia documenta, cum mense Iunio 1521 a. Cracoviae, datis anterioribus consulto instructa (ex. gr. litterae, quae nunquam forte missae sunt, datum habent 20 V 1520)²⁴, sumptu ipsius nuntii publicata essent²⁵, id procul dubio propterea factum est, ut lector sibi certo persuadere posset Ferrerium periculum Lutheranum iam prius perspexisse

¹⁶ Vide infra, p. 36-37. Cfr. Sanudo XXVIII, col. 134.

¹⁷ Vide Itinerarium.

¹⁸ Cfr. 15, 19-25.

¹⁹ Cfr. N. 37, 41; *Vita Beati Casimiri* (Ferrer VBC, ut in Bibliographia).

²⁰ Cfr. N. 32-33. Torunia non prius discessit quam sub finem Septembris 1520 a., vide Warszawa AGAD, Lib. Legat. 5 f. 134r.

²¹ Cfr. infra, p. 68-69.

²² Vide N. 39-40, 43, 45 et commentarium Mariani Biskup WP, p. 450.

²³ Cfr. N. 37, 44, 46-48.

²⁴ Vide infra, p. 119. Cfr. Fijalek MFL passim.

²⁵ Cfr. *Oratio legati* (Ferrer OT, ut in Bibliographia).

eique obsistere conatum esse, antequam bullae Leonis X, quibus Lutherus eiusque doctrina condemnabantur, editae essent²⁶.

Quae fraus et dolus Ferrerii tum etiam manifestius apparuit, cum de ambitione dignitatum vel comparanda pecunia ageretur, ita ut Andreas Criccius propterea nuntio nostro tria carmina dedicaverit inscripta "In legatum impurum", quibus secretarius regius Stanislaus Górski in margine adscriptis: "Munus suae legationis perfide egit, multas gratias, multa indulta vigore suae legationis dabat..., multos clericos circumvenit, pecuniam multam pro chartis et bullis collegit"²⁷. Iam post eius ex Polonia discessum, initio mensis Iulii a. 1521, patefactum est eum etiam implicatum fuisse negotio cum "thesauris Caunensibus" coniuncto; quae res etiam interpellationi regiae in Urbe causam dedit²⁸. Minus autem verisimile esse videtur, quod affirmat Górski, nuntium nostrum, cum a. 1521, fortassis mense Septembri, certo ante mortem Leonis X († 1 XII 1521), Romam venisset, "partem pecuniae papae dedisse"²⁹, quamquam verum est Clementem VII adhuc a. 1526 apud canonicos regulares, quibus Ferrerius, cum mense Augusto a. 1524 Romae mortuus es- set (verisimiliter veneno necatus)³⁰, non parvas divitias post se reliquerat, operam suam interponere debuisse, ut partem saltem earum fratri ipsius Vincentio (quem secum in Polonia habuit), ad summam egestatem redacto, restituere vellent³¹. Res autem omnino certa est Ferrerium, post mortem Leonis X a Sacro Collegio gubernatorem Faventiae nominatum, magnam pecuniarum in Polonia collectarum partem eo destinasse, ut typis ederet opus suum adulatorium in Hadrianum VI scriptum, "De reformatione Ecclesiae suasoria", in quo contumeliis obruit clerum Polonum³², et ut publici iuris faceret novos hymnos liturgicos, a se curatos, inter quos plenum officium Breviae in honorem s. Casimiri positum erat³³.

Quod ad explendum legationis munus ei a Leone X commissum attinet, Ferrerius, cum ex Polonia Romam reverteretur, 23 VIII 1521 a. coram duce

²⁶ Ex quibus, non indicato fonte, integra fragmenta adducit, vide infra, p. 87, 122, 124.

²⁷ Vide Kórnik BPAN, ms. 243 f. 283v. Adhuc initio a. 1523 Sigismundus I scribebat ad Erasmus Ciołek: "veniens ad nos, et centum aureos singulis mensibus magnis tragediis a nobis exigebat, quos si- bi per V. ram Paternitatem promissos aiebat... et commendationes, quas nemini, praesertim Nuntiis, negare solemus, pro obtinendis facultatibus etiam ad regnum obtinuit, cum iam haberet in Lithuania, ubi tamen lacnis [laxibus?] est illis abusus..." (Warszawa, AGAD, Sucha 22/23, p. 588).

²⁸ Vide N. 55 et Kantak BPI, p. 183.

²⁹ Kórnik, BPAN, ms. 243f. 283v.

³⁰ Marzari, p. 158; Ferrajoli, p. 22.

³¹ Breve "capitulo canoniconorum regularium Placentiae congregato seu indicto", 24 III 1526, cop. AV, Arm. 39, ms. 46 f. 180v-181r.

³² Vide infra, N. 54 et bibliographiam (Ferreri RES).

³³ *Hymni novi ecclesiastici iuxta veram metri et latinitatis normam a beat. Patre Clemente VII, ... ut in divinis quisque eis uti possit approbatis*, [Romae] in Aedibus Ludovici Vincentini [1525] f. 103v-107v.

Venetiarum gloriabatur se illum fuisse, qui regem Poloniae Sigismundum ad concordiam cum Alberto magno Theutonicorum magistro ineundam adduxerit, sed "idem cum Moscovitis perficere nequiverit"³⁴ (cum rex Poloniae ut nuntius in Moscoviam se conferret opportunum non iudicaverit)³⁵. Similiter nuntiaturam eius, quam in Polonia obiverat, iudicaverunt etiam vitae eius scriptores: Marzari, Morsolin, Mantese³⁶, quod cum sui ipsius iudicio, ut ex scriptis eius videri potest, plene concordat. Solus Ferrajoli, vitae privatae Ferrerii severus aestimator et reprehensor, aliquot tantum capita missionis eius in Polonia expletae significare maluit³⁷. Apud Polonus rerum gestarum studiosos, praeter satis criticum iudicium Mariani Biskup, quod de opera Ferrerii in tractationibus cum magno magistro Alberto impensa protulit³⁸, de missione eius raras tantum mentiones invenimus.

Summatim tamen dici potest nuntium nostrum in obeunda legatione sua aliquot quoque successus prosperos habuisse: itaque i. a. episcopos Polonus de periculo Lutherano tempestive praemonuit, patrocinatus est primae synodo dioecesis Vilnensis, processum canonisationis principis Casimiri pergit, lepidas denique et significantes descriptiones Poloniae, Latino sermone exaratas, post se reliquit. Qui tamen successus ostentatione quadam et lucri aviditate, quae ex omnibus fere gestis eius perspici possunt, non parum obscurati esse videntur³⁹. Hac tamen re Ferrerius vix differebat ab aliis nuntiis Leonis X, quorum similis agendi et se gerendi modus, praesertim in Germania, severe vituperabatur.

2. De nuntiis minoribus.

Rapida doctrinae Lutheranae in Polonia diffusio effecit, ut post discensem Ferrerii Sedes Apostolica urgere et curare non desineret, "ut in illo Regno adasset homo Suae Sanctitatis, tali tamen vitae integritate et industria praeditus, ut nemini ansam daret de se loquendi, sicut Zacharias, et partes

³⁴ "Disse concluse l'accordo per il qual fu mandato, ma non potè concluder con moscoviti", Sanudo XXXI, col. 285.

³⁵ Sigismundus I Erasmo Ciołek, 26 I 1520, Działyński ATV, p. 149.

³⁶ Marzari, p. 157-158 ("operò felicemente nel spatio di due anni che dimorò ivi, con infinita lode sua et commendatione molta... Correva il nome suo in tutta la Cristiana Republica"); Morsolin, p. 70-81 (cum mendis); Giovanni Mantese, *Memorie storiche della Chiesa Vicentina*, T. 3/2, Vicenza 1964, p. 814-815 (Laudat Ferrerium et suspicatur eum etiam in Moscovia fuisse).

³⁷ Ferrajoli, p. 101-102.

³⁸ Cfr. Biskup MDD passim et Biskup WP passim (iudicium in p. 508-509).

³⁹ Accuratori disquisitio de nuntiatura Ferrerii praeparatur.

nostras sedulo defenderet"⁴⁰. Re tamen vera, quamquam omnes successores episcopi Gardiensis non parum temporis sui et operae novitatibus in religione exortis dedicabant, summi pontifices usque ad medium saeculum XVI id maxime curabant, ut Polonię ad societatem armorum adversus Turcas instituendam attrahere possent. Propterea eorum legationes huic praesertim necessitati negotiisque cum ea quodammodo coniunctis inde ab initio servire atque oboedire debebant, breve temporis spatium durabant, et stabilitate illa, firmitate et diuturnitate, quas memoravimus supra, omnino carebant. Quam ob rem eos nuntios minores vocamus.

Necessitas Dalmatiae adversus impetum Turcarum defendendae causa fuit, propter quam mense Iunio a. 1522 recens electus papa Hadrianus VI nuntium suum in Galliam, Venetias, Hungariam et Polonię destinatum nominavit **Thomam Nigrum (Crnić)**, gente Croatum. Natus Spalati circa a. 1450, lector et poeta Latinus, cursum honorum ecclesiasticorum incepit in aula archiepiscopi Spalatensis Bernardi Zanni, quem a. 1512, tamquam eius secretarius, Romam ad Concilium Lateranense V comitatus est. Anno autem 1514 in servitium Petri Berislavić, quem Croati tamquam heroa suum colunt, transiit. Prout eius secretarius et vicarius generalis dioecesis eius Vespriensis, annis 1516-1521 praefuit multis legationibus Venetias, Romam et ad Carolum V imperatorem missis, ut auxilium ad bellum contra Turcas movendum impetrare conaretur. Postquam vero, in tertia legatione Romana, 11 I 1520 a. a Leone X nominatus est episcopus Scardonensis (Skradin in Dalmatia), et cum 20 die Maii eiusdem anni Petrus Berislavić diem suum obiisset, Crnić eo maiore cum studio et sedulitate in defendenda patria sua periclitante operam insumebat. Eo plane tempore, quo a. 1521 legatione ad imperatorem fungebatur, cum quo - post electionem Hadriani VI - Bruxellis Tarragonem in Hispania, ubi papa tum morabatur, se contulit, munus legationis in Polonia obeundae ei commissum est⁴¹. Sed Cracoviam non prius quam 20 XII pervenit⁴². Omnia vero colloquia, quae inde a 2 die Ianuarii usque ad initium Martii a. 1523 cum rege Sigismundo I habuit, imprimis versabantur non in auxiliis bellicis Hungariae contra Turcas ferendis, sed in nominatione pontificia Ioannis Alberti Hohenzollern, fratris magni Theutonicorum magistri Alberti, ad episcopatum Plocensem⁴³ et periculo, quod reli-

⁴⁰ "che in quel Regnio fosse uno homo di sua Santità, ma di tal vita, exemplo et industria, che non dasse che parlare di se, como il Zaccaria, che sustinesse le parti nostre vive", Buglio ad Iacobum Sadoleum, Buda 25 V 1525, vide infra, p. 200.

⁴¹ Prolixius de vita et opera Thomae Crnić cfr. Kurelac, Praga et Wojtyska TC.

⁴² Cfr. infra, N. 1.

⁴³ Cfr. Kolankowski KJA passim, Wojtyska TC, p. 144-145.

gioni catholicae in Polonia ex doctrina Lutherana imminebat. Facta celeri intercessione apud papam, Crnić, pro abrogata supradicta nominatione, a rege impetravit decretum 7 III 1523 a. promulgatum, quo propagatio et diffusio doctrinae Lutheri in Polonia et Lithuania prohibebatur⁴⁴. Commodum et utilitas, quae utriusque parti inde provenerunt, cum "mira eloquentia et morum suavitate" nuntii coniuncta, effecerunt, ut brevis eius legatio in Polonia expleta longe aliter quam nuntiatura Ferrerii a rege existimaretur⁴⁵, idem vero Cricius, qui episcopum Gardiensem omnino condemnabat, cum Scardonensi firmam amicitiam et familiaritatem inivit⁴⁶. Reliquum vitae, usque ad mortem, quae a. 1532 supervenit, Crnić dilectae patriae suae, Croatiae, ex periculo Turcico servandae et protegendae dedicavit⁴⁷.

Prorsus diversa aliisque dissimilis fuit nuntiatura **Ioannis Antonii Buglio** (Pulleo, Puglione). Buglio erat Siculus, circa a. 1485 ex non opulenta familia baronum Burgii natus, qui bonis suis in seditione popularium amissis, uxorem et quattuor liberos in Sicilia reliquit et a. 1522 Romam demigravit, ubi legationi cardinalis Thomae de Vio (Caietani), a. 1523 in Hungariam proficiscenti, adiunctus est⁴⁸. Post electionem Clementis VII Caietanus, autumno eiusdem anni, eum Buda Romam misit, ut de expleta legatione summo pontifici rationem redderet. Ibi, legato ex Hungaria revocato, Buglio 20 II 1524 a. nominatus est nuntius apud Sigismundum I Poloniae⁴⁹ et 4 diebus post apud Ludovicum II Hungariae regem⁵⁰, mandatumque obtinuit, ut conventum amborum regum appararet et communem defensionem Hungariae contra Turcas instituendam curaret. Huic consilio ad effectum perducendo inservire imprimis debuit missio nuntii Cracoviam, ubi mensibus Iulio et Augusto a. 1524 commoratus est⁵¹, eiusque assidua studia et labores, toto commemorationis Budensis tempore impensi⁵². Quamquam tamen per biennium apud regem Hungariae manebat, Buglio munus suum nuntii apud regem Poloniae sibi commissum explere non desiit, et Curiam Romanam de rebus Poloniae tempestive reddebat certiorem negotiaque sibi hac in parte deman-

⁴⁴ Wojtyska TC, p. 145.

⁴⁵ Vide N. 5.

⁴⁶ Alter alteri carmina dedicavit. Poemata Thomae Crnić in Kórnik, BPAN, asservata inveniuntur, ms. 243 f. 297a-297b (edita cum mendis a Hiacynto Wiesiółowski: *Z kórnickiego kodeksu Corpus Cricianum*, "Pamiętnik Biblioteki Kórnickiej", 15 (1990), p. 249-251).

⁴⁷ Cfr. Wojtyska TC, p. 146-148.

⁴⁸ Cfr. Fraknói ROP, p. XXVIII-XXIX; Rill-Scichilone, p. 413.

⁴⁹ Cfr. infra, N. 1-3.

⁵⁰ Fraknói ROP, p. XXXI.

⁵¹ Vide infra, N. 5-8. Hanc missionem accurate descriptis Petrus Tomicki in litteris 23 VII 1524 ad Lucam Górkę datis (Dzialyński AT VII, p. 42). Cfr. Pajewski SPW, p. 41-43; Pociecha, KB II, p. 117.

⁵² Vide Fraknói ROP passim. Cfr. idem, *Ungarn vor der Schlacht bei Mohács (1524-1526) auf Grund der päpstlichen Nuntiaturberichte*, Budapest 1886.

data diligenter expedire conabatur. Itaque praeter munus principale, quo summo studio et fervore, prudenter tamen et caute fungebatur⁵³, episcopum Petrum Tomicki adiuvabat in recuperando canonicatu Cracoviensi, quem Leo X, suasore Erasmo Ciołek, dioecesi Plocensi adiunxit⁵⁴; iussu summi pontificis se intercessorem interponebat in assiduis, frustra tamen factis, conatibus ad exsequendam integrum pensionem cardinali Cajetano ab Hadriano VI in eadem dioecesi assignatam⁵⁵; nitebatur etiam ad effectum deducere connubium principis Polonae Hedvigis cum marchione Mantuae, Friderico Gonzaga⁵⁶, et, rege Sigismundo adiutore, adducere studebat ad unionem calixtinorum Bohemorum cum Sede Apostolica ineundam⁵⁷. Attamen pars Polonia eius nuntiatura in hoc maxime conspicua existimanda esse videtur, quod Buglio in controversia inter Polonos et Cruciferos intercedente, praesertim in tractatibus Budensibus mense Octobri 1524 et Ianuario-Februario 1525 a. peractis, partem intercessoris et conciliatoris assumpsit, Poloniae benevoli et faventis⁵⁸, et iura Sedis Apostolicae et religionis catholicae in Polonia defendere et tueri conatus est, postquam magnus Ordinis Theutonicorum in Prussia magister Albertus, cuius propensam in doctrinam Lutheranam voluntatem Curiae Romanae saepe, iam a mense Iulio a. 1524, significabat, 10 IV 1525 a., eodem Ordine in Prussia dissoluto, regi Poloniae praestito homagio, eiusdem regis et Regni Poloniae princeps feudatarius factus est⁵⁹.

Nuntiatura Ioannis Antonii Buglio, quam in Hungaria et Polonia simul obiverat, calamitate Altinensi (alias Mohaciensi, 29 VII 1525) clauditur. Iam die 21 mensis Iulii, paucis diebus ante pugnam, quae portas Europae Centralis Turcarum potentiae aperuit, nuntius noster a Clemente VII mandatum obtinuit, ut ad regem Poloniae se conferret eique quaedam communicearet, "quae ad christianitatis salutem" et ipsius regis laudem et honorem pertinebant, sed iam 27 die eiusdem mensis munus hoc, accuratius non definitum, revocatum est, nuntio autem, procul dubio propter imminentem calamitatem, iniungebatur, ut se illico Romam conferret et coram pontifice com-

⁵³ Vide imprimis epistulam 7 XI 1526 ad Sigismundum I missam (N.30) et litteras de hac re in Curiam allatas (vide infra, passim).

⁵⁴ Cfr. infra, p. 177-178.

⁵⁵ Vide infra, N. 20.

⁵⁶ Vide N. 32.

⁵⁷ Vide infra, N. 26 et 29.

⁵⁸ Vide infra, p. 174, 176-177, 181-182. Cfr. Wojtyska, *Rozmowy budzińskie (październik 1524, styczeń-luty 1525). Ostatnia próba ratowania zakonu krzyżackiego w Prusach* [Colloquia Budensia (m. Septembri 1524, Ianuario-Februario 1525 habita)]. Extremum temptamen servandi Ordinis Cruciferorum in Prussia], sub prelo.

⁵⁹ Vide infra, p. 163, 200, et praesertim N. 18 et 19.

pareret⁶⁰. Sed mandatum pontificium ad nuntium, qui adhuc in Hungaria morabatur, serius pervenit, cum de clade Altinensi iam nuntiatum esset. Tandem 23 Octobris a. 1526 Romam venit⁶¹, neque ad nuntiaturam suam obeundam unquam reversus est. Die 26 X 1526 a. nominatus est commissarius generalis exercituum pontificiorum, qui ad certamen cum gente Columnarum committendum adornabantur. 12 VI 1529 a. Clemens VII commis sit ei nuntiaturam Siciliae, unde 9 VII 1530 in Angliam translatus est et munus publicum accepit belli contra Turcas parandi, occulte autem obsistere debuit divortio regis Henrici VIII cum Catharina Aragonensi. Cum tamen munus hoc nimis segniter et otiose explere videretur, mense Iulio 1533 a. revocatus est. Reliquum vitae cum familia sua in Sicilia transegit. Post electionem Pauli III factus est administrator archiepiscopatus Montis Regalis, nomine archiepiscopi eiusdem archidioecesis, card. Alexandri Farnese, die autem 3 VIII 1536 a. etiam munere nuntii in Sicilia denuo auctus est. Mortuus est sub finem a. 1545, verisimiliter in arce Mineo, cuius castellanus inde ab a. 1535 ab imperatore Carolo V est nominatus⁶². Actio eius et opera, quam in explendo munere nuntii in Hungaria insumpsit, ab omnibus probatur⁶³. Non vulgaris eruditio et politior humanitas, religio et pietas in Deum⁶⁴ (Buglio omnes epistulas suas signo crucis incipiebat, res in historia nuntiaturae Polonae sane unica), studium et diligentia, quam in expediendis negotiis sibi commissis adhibere solebat, prudentia tandem et humanitas erga omnes, inter quos ei vivere et agere contigit, etiam ex actis et gestis nuntiaturae eius Polonae facile perspici possunt.

In exordiis nuntiaturae Polonae non est praetereunda volucris et fugax missio **Gundisalvi de Sangro**, qui 25 V 1525 a. in ecclesia cathedrali Cracoviensi Sigismundo I sollemniter tradidit gladium et pileum, a Clemente VII in consistorio 27 III eiusdem anni regi Poloniae, ob egregia eius merita in bello adversus infideles gerendo, collatos⁶⁵. Legatus pontificius, gente principum de Sangro in Regno Neapolitano spectatissima ortus⁶⁶, vix 20 annos natus erat, cum - cubicularii pontificii dignitate insignitus (a 19 I 1525 a. erat

⁶⁰ Cfr. N. 34-35.

⁶¹ Vide Itinerarium (infra p. XL). Ipse misit Romam scripta ad pugnam Altinensem spectantia, una cum generali eius descriptione, quae in BV, Vat.Lat. 3924 custoditur.

⁶² Rill-Scichilone, p. 414-417.

⁶³ Cfr. Fraknói ROP, p. XXIX; Pastor SPIV/2, p. 411.

⁶⁴ Rill-Scichilone, p. 417.

⁶⁵ Vide infra, Buglio N. 23. De his insignibus regi Poloniae in consistorio attributis cfr. Diarium Blasii de Cesena, BV, Vat.Lat. 12308 f. 123r. De sollemnitate et ipso dono vide diaria Nicolai Sokolnicki et Bernardi de Biskupice, a Wladislaw Pociecha memorata (KB II, p. 512).

⁶⁶ Cfr. Bernardo Candida Gonzaga, *Memorie delle famiglie nobili delle provincie meridionali d'Italia*, T. 3, Napoli 1876, p. 206-217.

episcopus Lyciensis, sed tum ne ordinibus quidem sacris auctus erat) - ad hanc provinciam obeundam destinatus esset⁶⁷. Eius non arduam legationem, die 4 Iunii a. 1525 conclusam⁶⁸, Martinus Bielski sic breviter descripsit: "Legatus humaniter exceptus, muneribus honoratus et dimissus est"⁶⁹.

Minoris momenti, et uni tantum conficiendo negotio destinata, erat missio alterius saecularis servitoris Clementis VII, **Nicolai Fabro**. De quo hoc solum nobis constat, eum a Coneliano in dominiis Venetorum oriundum fuisse, litterarum studia aliqua absolvisse (cuius rei vel testis esse potest oratio eius ad Sigismundum I habita) et - fortassis propter minus cautam optionem in re publica factam, quae minus placebat - a locumtenente ducis Venetorum, Iacobo Badoer, exsilio multatum esse, a quo non nisi pridie profectio- nis in Poloniam 11 III 1525 a. liberatus et absolutus est⁷⁰. Idem itaque Fabro 14 Novembris 1525 a. a Clemente VII in Poloniam ablegatus est, "ut regiae filiae [Hedvigis] nuptias cum duce Mantuano [Friderico Gonzaga] ineundas curaret"⁷¹, cuiusmodi matrimonium iam mense Iulio a. 1525 a Ioanne Antonio Buglio propositum erat⁷². Nuntius, haud dubie statim post nominationem, Roma discessit et, habitis prius 29 XI - 4 XII Mantuae colloquiis cum marchione Gonzaga, recta Cracoviam profectus est, quo 29 XII pervenit. Die 1 Ianuarii in arce regia Niepolomicensi, prope Cracoviam sita, colloquium habuit cum regina Bona, capita autem legationis suae regi Sigismundo die 8 Ianuarii Petricoviae rettulit, vehementer laudatis emolumentis et commodis, ex eiusmodi connubio Regno Poloniae manaturis. Responsum tamen, quod 26 eiusdem mensis tandem obtinuit, repulsam continebat. Reginula enim iam duci Masoviae Ianussio desponsa erat. Nil aliud ergo restabat nuntio, quam ut Romam rediret. Revertebatur per Budam, ubi 17 II 1526 a. exitum legationis suae nuntio Ioanni Antonio Buglio rettulit, 16 au- tem die Martii Mantuae coram marchione Gonzaga idem egit⁷³. Postquam redierat in Urbem et rationem legationis suae summo pontifici reddiderat, quod se esse facturum ultimis epistulis suis annuntiabat, Fabro iterum de scaena decessit. Apparuit denuo a. 1542, prout scutifer Pauli III, a pontificis nepote, card. Vidone Ascanio Sforza, ad recensum populi, domorum et gre-

⁶⁷ Cfr. Gulik-Eubel HC III, p. 224. Obiit ca a. 1530.

⁶⁸ Cfr. infra, N. 24-25.

⁶⁹ "Poseł wdzięcznie przyjęt, uczzcon, obdarowan i odprawion", Bielski, p. 501.

⁷⁰ "Fu posta la gratia di uno Nicolò Favro di Friul, bandito per locotenente di la Patria, sier Jacomo Badoer", Sanudo XXXVIII, col. 179.

⁷¹ Garampi SL, f. 59bv; cfr. N. 1.

⁷² Vide infra, p. 219.

⁷³ Vide textus passim. Legationem Nicolai Fabro, hic publicatis documentis innixus, diligenter de- scripsit Vladislavus Pociecha KB II, p. 404-407 et 594-595.

gum in provincia Campaniae peragendum designatus⁷⁴. Quando mortuus sit, nescitur. Inter merita legationis eius illud quoque numerandum est, quod Curiam Romanam de turbis et tumultibus, ob negotium religionis Gedani exortis, praemonuit et de conatibus ad doctrinam Lutheri in Prussia Regali et Pomerania coercendam a rege factis eam redditum certiore⁷⁵.

Huic negotio diligentius et alacrius incubuit, speciali Clementis VII mandato ad hoc incitatus, alias quoque nuntius pontificius, eodem fere tempore quo Fabro designatus, **Ioannes Franciscus Cito**. Eius legationis origo coniungitur cum itineribus, a mercatore Genuensi Paulo Centurione in Moscoviam factis. Qui iam post primum iter, annis 1518/19 illuc confectum, significabat de desiderio magni ducis Moscoviae Basilii III cum Sede Apostolica societatis cuiusdam et necessitudinis ineundae. Postquam vero ex secundo itinere reversus erat, mense Septembri 1525 a. Romam secum adduxit oratorem Moscoviticum Demetrium Gerasimov, qui in mandatis quidem habuit, ut fabros potius et opifices Italos duci suo conduceret, quam de paranda ecclesiastica unione cogitaret. Nihilominus Clemens VII serio creditit talem unionem re vera fieri et Moscoviam societati bellicae contra Turcas adiungi potuisse. Decrevit propterea supra dictum Gerasimov una cum nuntio suo ad Basilium remittere⁷⁶. Itaque in consistorio 14 X 1525 a. celebrato ad hoc munus obeundum designatus est Ioannes Franciscus Cito, "qui curaret cum eodem principe, ut unacum aliis principibus christianis contra Turcas pro defensione Christianae fidei se praepararet et arma caperet"⁷⁷. Romam interea afferebantur sinistri rumores de doctrinae Lutheri in Polonia celeri propagatione (i. a. de seditione Gedanensi)⁷⁸. Quam ob rem die 16 XI eiusdem anni Clemens VII nuntio suo concessit facultates generales, quibus addidit specialem potestatem in Lutheranos Polonus procedendi⁷⁹; traditis autem ei litteris commendaticiis, dato 18 XI instructis, mandavit, ut in explenda legatione sua in Moscovia consilio et auxilio regis Poloniae uteretur⁸⁰.

Ioannes Franciscus Cito e Potentia, oppido Italiae Meridionalis, originem duxit. In documentis ad nostram aetatem asservatis eum primum videsmus Asisii, ubi mense Iunio a. 1514 interfuit capitulo generali Franciscano-

⁷⁴ Ad hoc munus obeundum a Paulo III approbatus est 9 X 1542, vide AV, Arm. 41, ms. 25 f. 223r.

⁷⁵ Cfr. infra, p. 224.

⁷⁶ Fusius de itineribus a Centurione factis cfr. Pierling IR, p. 11-34. De transitu eius per Poloniam vide infra, p. 169, 179-181.

⁷⁷ Cfr. Korzeniowski AR, p. 87. Pierling (IR, p. 42 et RSS I, p. 298) diem nominationis afferit 13 X 1525.

⁷⁸ Vide relationes Ioannis Antonii Buglio passim; cfr. Korzeniowski AR, p. 86.

⁷⁹ Cfr. infra, N. 1-2.

⁸⁰ Vide N. 22, cfr. N. 3-21.

rum Observantium, tamquam provincialis Lucaniae, in quo electus est procurator ordinis in Curia Romana cum sede in coenobio Romano Arae Coeli, cum privilegio "in capella pontificis" sedendi et munere ibi certis diebus praedicandi praesente pontifice⁸¹. Adhuc eodem anno a Leone X missus est ad Simonem Petrum, patriarcham Maronitarum in Libano, ut eum ad unionem cum Ecclesia Romana ineundam adigeret. Quo munere suo tam bene functus est (Romam secum attulit etiam oratores patriarchae de unione tractatos et trinas litteras, in quibus ab eodem patriarcha valde laudabatur)⁸², ut eodem adhuc anno 1515 rursus Berytum mitteretur unionis concludendae causa⁸³.

Missio, quae sequebatur, multo difficilior erat. Nam post ingentem caedem seditionis Suecorum 8 XI 1520 a. a rege Sueciae et Daniae Christiano II Stocholmiae factam, Leo X die 1 VII 1521 a. Ioannem Franciscum Cito Hafniam misit cum mandatis, ut furores crudelitatemque regis frenare stuperet eiusque propensum in doctrinam Lutheranam animum cohiberet⁸⁴. Itaque Christianus, tam sui commodi causa quam propter studia et conatus nuntii, conversionem simulavit, culpam in episcopum Scarensem (postea Upsaliensem), Theodoricum Slaghek, a se nominatum, reiecit, cui quoque caput amputari iussit, et in eius locum ipsum Cito constituit; a quo vicissim absolutionem consecutus est⁸⁵. Nuntius, regiis litteris laudatoriis praecedentibus, non prius quam primo vere anni 1523 Romam tandem revertit. Die 29 Aprilis, in consistorio, actionis suae amplam rationem reddidit et 11 Maii provisionem pontificiam ad episcopatum Scarensem obtinuit⁸⁶; quae res novo regi Sueciae Gustavo Vasa, qui interea ad eundem episcopatum candidatum suum designavit⁸⁷, e vestigio ad interponendam interpellationem ansam dedit. Cito brevi post a Clemente VII adiunctus est comes cardinali Laurentio Campeggi, legato suo in Germaniam proficiscenti (8 I 1524 nominato). Quo cum legato toto legationis eius tempore, scil. per unum annum et dimidium, in Germania commoratus est. Autumno anni 1524 nomine eius in Comitiis

⁸¹ Wadding XV, p. 539; XVI, p. 83. Eiusmodi munere functus est usque ad nominationem episcopalem, cfr. C. Cenci, *Documentazione di vita assisiana*, Vol. 2, p. 1084; cfr. etiam *Un'ambascieria di Niccolò Machiavelli al capitolo generale di Capis (1521)*, "Archivum Franciscanum Historicum", 16 (1923), p. 151, 154, 157.

⁸² Ed. Wadding XVI, p. 767-771 et Harduin IX, col. 1864-1868.

⁸³ Analytica descriptio harum missionum apud Hefele-Leclercq VIII/1, p. 509-512.

⁸⁴ Vide Diarium rerum consistorialium card. Iulii de Medicis, BV, Barb.Lat. 2878 f. 153r.

⁸⁵ Prolixius de hac re scriptis Olof Kolsrud, *Blodbadet i Stockholm aar 1520*, "Kyrkohistorisk Arktskrift", 40 (1940), p. 179, 191, 208; cfr. Martin, p. 103-106, 122-128 et Pastor SP IV/1, p. 571-572.

⁸⁶ BV, Barb.Lat. 2878 f. 188r, 189v, 192v. Amplum summarium relationis Ioannis Fr. Cito in consistorio factae edidit Angelo Mercati, *Diarii di concistori del pontificato di Adriano VI*, in: Studi e Testi, T. 157, Città del Vaticano 1951, p. 103-105.

⁸⁷ Vasa Clementi VII, 14 IX 1523, AV, AA I-XVIII, n. 1426; cfr. Martin, p. 168, 298.

Norimbergensibus orationem habuit "pro bello suscipiendo contra Turcas"⁸⁸, mense autem Decembri eiusdem anni, etiam nomine legati, legationem expleturus erat ad Sigismundum I, qua regem Poloniae hortaretur, ut convenitui Posoniensi interesset⁸⁹. Eodem tempore continenter a legato in Curia commendabatur: "nam re vera dignus est omni beneficio et favore tam propter virtutem et bonitatem suam quam servitutem, qua Sedi Apostolicae adstringitur"⁹⁰.

Post cardinalis Campeggi in Italiam redditum Cito cum eo Bononiae remoratus est, unde 3 VIII 1525 a. ad summum pontificem litteras dedit, subsidium expetens: "nam cum episcopus sim [sine redditibus], multo magis mendicus sum, quam cum monachus eram"⁹¹. Auxilium tamen non venit nisi sub specie nominationis ad legationem Polonam et Moscoviticam, ad quam obeundam initio Decembribus a. 1525 Roma profectus est. Totam alteram eius mensis partem Venetiis transegit, ubi ad difficile et arduum iter se parabat. Die 17 XII in Consilio Seniorum exceptus est, ubi annuntiavit se in Moscoviam sese conferre, ut magnum eius ducem ad concordiam cum rege Poloniae ineundam et veram fidem amplectendam adduceret⁹². Die 28 II 1526 a. advenit Cracoviam. Inde, cum regem ibi non invenerit, salutata breviter regina Bona in arce Niepolomicensi, profectus est in Prussiam⁹³, ubi rex Sigismundus I ad seditionem Lutheranam Gedani concitatam armis reprimendam se se apparabat. 28 III Marienburgum venit, 4 IV veniam in Moscoviam eundi a rege obtinuit, 10 autem die Aprilis dedit ei rex - ipso postulante - instructio nem, qua edocebatur, quomodo in prorogandis indutiis in bello inter Polonus et Moscovitas gesto operam suam interponere deberet. Postridie eius diei de progressibus sectae Lutheranae in Prussia et Livonia ac de remediis ad eam debellandam a rege adhibitis Curiam Romanam per litteras fusius certiorem faciebat. Impetravit etiam litteras intercessorias Sigismundi I ad Gustavum regem Sueciae contra "dogmata Lutherana" et de iuribus ad episcopatum Scarensem sibi restituendis scriptas⁹⁴. In Moscoviam pervenit tandem 20 die Iulii, iam post adventum illuc Leonardi Nogarola et Sigismundi ab Herberstein, oratorum Caroli V imperatoris, qui initio ad tractatus de pace

⁸⁸ Oratio haec servatur in BV, Vat.Lat. 3924 f. 367r-370r.

⁸⁹ Campeggi Sodaletto, 7 XII 1524, Fraknói ROP, p. 95; cfr. infra, p. 182.

⁹⁰ "perché in verità merita ogni bene et favore per la virtù et bontà sua et per la servitù che ha con Sede Apostolica". Idem ad eundem, 12 VIII 1524, Fraknói ROP, p. 12. Adhuc 22 I 1525 Campeggi commendabat eum ad epatum Rossanensem obtinendum, ibidem, p. 130.

⁹¹ "essendo vescovo, son molto più mendico che quando era frate". Autogr. AV, Lett. di Principi 3 f. 218r.

⁹² Sanudo XL, col. 497, 533, 540.

⁹³ Vide infra, N. 23. Cfr. Pociecha KB II, p. 122.

⁹⁴ Vide infra, N. 25-28.

inter Moscoviam et Polonię componenda eum admittere noluerunt. Interfuit tamen in faciendis quinque annorum indutiis, deinde Basilius III ad bellum contra Turcas movendum adigere conabatur. Quem tamen non nisi ad mercaturam cum Italia exercendam adducere potuit: Ex Moscoviā discessit cum tribus comitibus, Trusov et Lodygin, magni ducis ad pontificem Romanum oratoribus, et Alexio Basej, mercatore, qui colloquia de eodem negotio Romae continuaturi erant⁹⁵. In hac legatione nuntium comitatus est interpres, a rege designatus, Nicolaus Fontana Italus⁹⁶. Reditus in Italiam per Cracoviā fiebat, ubi 28 I 1527 a. rex nuntio pontificio gratias egit maximas, quod in tractationibus Moscoviticis negotia sua promoverit, et cum 1 IV 1527 a. eum ex Polonia dimitteret, summum pontificem per eum rogabat, ut se, contra infideles et schismaticos pugnare coactum, oneribus curialibus liberare et operam suam in controversia inter Ioannem Zápolya et Ferdinandum Habsburg de corona regni Hungariae interponere vellet⁹⁷.

In reditu in Italiam, Venetiis, Cito cognovit de Clemente VII in custodiā coniecto et de vastationibus ac rapinis die 6 Maii 1527 a. ab exercitu Caroli V Romae factis ("Sacco di Roma"). Substitut propterea in urbe hac ab initio mensis Maii ad finem Augusti eiusdem anni, unde de omnibus, quae tunc gerebantur, et de sua ad episcopatum Puteolanum nominatione Sigismundum I per litteras certiorem fecit⁹⁸. Deinde, autumno fortassis in Marchia Picena transacto⁹⁹, nuntius noster et oratores, qui eum comitabantur, sub finem Ianuarii 1528 a. Clementem VII in Urbe Vetere tandem convenerunt¹⁰⁰. Ibi quoque comperit se archiepiscopum titularem Nazarenū (13 I) et gubernatorem Asculi (18 III) nominatum esse cum mandato, ut populum repugnantem contra exercitum Gallicum, summo pontifici foederatum, sub duce Odetō de Foix, vicecomite de Lautrec, constitutum, sedaret ac pacificaret. "Amabilis et vigilans", tumultus, qui 24 VI 1528 a. in urbe concitati sunt, praevertere cupiens, hasta fortuito ictus, mortem occubuit "a pie' di piazza"¹⁰¹. Summatim dici potest Ioannem Franciscum Cito procul dubio fuisse unum ex praestantioribus nuntiis pontificiis, qui munere suo prima

⁹⁵ Pierling IR, p. 60-68. Cfr. Herberstein, p. 135-136.

⁹⁶ Vide commendationem eius a rege summo pontifici factam, s.d., Warszawa, AGAD, Sucha 22/32, p. 660-661.

⁹⁷ Cfr. N. 30-32 et Pociecha KB II, p. 127, 208, 330.

⁹⁸ Cfr. N. 33-35. De translatione ad dioecesim Puteolanam habetur haec unica mentio Ioannis Francisci. In catalogis eorum huius dioecesis nomen eius non appareat (cfr. Gulik-Eubel HC III, p. 280).

⁹⁹ Vide infra, p. 282.

¹⁰⁰ Pierling IR, p. 71.

¹⁰¹ Cfr. Marcucci, p. 367. De nominatione ad archiepiscopatum Nazarenū vide Gulik-Eubel HC III, p. 254 (magna confusio nominum et datarum, cfr. ibid. p. 219). De nominatione in gubernatorem Asculi, AV, Arm. 40, ms. 20f. 260r.

parte saculi XVI fungebantur. Omnes enim missiones, quas explevit, non excepta legatione in Polonia et Moscovia peracta, quamquam vehementer inter se differebant, et difficillimis rerum, temporum, locorum adiunctis suscipiebantur, foeliciter tamen conclusae sunt et certo merentur, ut accuratius diligentiusque elaborentur¹⁰².

Nuntius, qui eius successor quodammodo definiri potest, non prius quam post decem elapsos annos in Poloniā missus est. Die 2 VI 1536 a. summus pontifex Paulus III, post multos conatus et temptamina, indixit tandem ad diem 23 V 1537 a. concilium generale, Mantuae celebrandum, in quo de quaestionibus cum "reformatione" ecclesiastica coniunctis in primis disputandum erat, et nuntios designavit, qui idem concilium principibus christianis intimarent. 10 IX 1536 a. tale munus, Salisburgi, in Moravia, Silesia, Polonia et Livonia obeundum, demandatum est - hortatu forsitan et consilio Andreae Dudith - **Pamphilo de Strassoldo**¹⁰³.

Novus nuntius e Strassoldo originem duxit, loco 30 chilometris septentrionem versus ab Utino distante. De eius iuvenilibus annis nihil nobis constat¹⁰⁴. Erat clericus dioecesis Aquileiensis et camerarius secretus papae, cum Paulus III, mox post celebratum 21 VII 1536 a. consistorium, eum in Poloniā mittere statuisset, ut de convocatione concilii ibi intimaret¹⁰⁵. Pridie quam nominatus est nuntius, 9 IX, Pamphilus ad dignitatem protonegotarii apostolici evectus est¹⁰⁶. Brevis et facilis eius legatio, quam inter Octobrem 1536 et Februarium 1537 a. obiverat¹⁰⁷, attento animo consideranda esse videtur, non tam propter munus nuntio commissum (nam intimatio concilii ab episcopis et rege Poloniae tranquille et sine ulla controversia accepta est)¹⁰⁸, quam propter primum nobis notum cogitatum itinerarium nuntii et primam nobis notam instructionem secretam, quam a cardinali Aleandro consecutus est¹⁰⁹. Cracoviae, ubi inde a 18 die Novembris morabatur, dum Comitia Regni celerabantur, episcopi ei significarunt heredem regni, principem Sigismundum Augustum, consiliariis Lutheranis abundanter uti. Nuntius huic malo remedium invenire cupiens, non solum intercessionem

¹⁰² Accuratio vitae eius descriptio praeparatur.

¹⁰³ Vide infra, N. 1-3. Dudith ad Ambrosium Recalcato, 10 II 1539 (Friedensburg NBD I/4, p. 287).

¹⁰⁴ Vide Paschini PS, p. 109.

¹⁰⁵ Haec res iam nota erat oratori Veneto Romae, Laurentio Bragadino, cfr. Ehses CT IV, p. 27, notam 3.

¹⁰⁶ Breve in AV, Arm. 41, ms. 3 f. 250r. Ibidem privilegium pontificium pro eius fratribus Soldanario, Antonio et Camillo, datum 6 IX 1536.

¹⁰⁷ Vide Itinerarium (infra, p. XLI).

¹⁰⁸ Cfr. infra, N. 10-16. De ceteris vide Friedensburg NBD I/2, p. 41-42, Ehses CT IV, p. 43-44 et Jedin GKT I, p. 254-255, 551.

¹⁰⁹ Vide infra, N. 4, 7. Eius auctorem fuisse cardinalem Aleandro affirmat Jedin GKT I, p. 254.

reginae matris, Bonae, expetivit, sed etiam Romam hac de re perscripsit, ubi - post experimenta hac in parte cum principibus Germanis facta - res debita gravitate et cura tractata est¹¹⁰. Leopolim et Rigam nuntius, propter valitudinem, ut aiebat, affectam, se non contulit, sed bullis inductionis concilii utriusque archiepiscopo per tabellarios missis, medio mense Decembri Cracovia discessit et per Nissam (ubi intimationem concilii episcopo Vratislavensi, Iacobo a Salza, significavit) et Vindobonam (ubi 1 I 1537 colloquium cum nuntio, Ioanne Morone, habuit) iter Romam ingressus est¹¹¹. Hac expleta legatione cursus honorum et officiorum Pamphili de Strassoldo celerrimus fuit. Die 3 III 1537 nominatus est gubernator Urbis Veteris¹¹², 3 XII eiusdem anni gubernator Fani, 14 III 1539 gubernator Viterpii et vicelegatus provinciae Patrimonii s. Petri. Dum hoc officio fungebatur, 31 I 1544 nominatus est archiepiscopus Ragusinus, sed in sede sua resedisse non videtur, nam mense Aprili 1545 a. eum gubernatorem Urbis fuisse animadvertisimus. Haec dignitatis accessio ex eo haud dubie orta est, quod papa magnam habuit opinionem de ingenio et peritia nuntii sui in expediendis arduis negotiis, quae permulta ei committebantur¹¹³. Qui procul dubio ad sacrae purpurae dignitatem promotus esset, nisi eum initio mensis Iulii 1545 a. mors praevenisset¹¹⁴.

Causae novi nuntii, **Hieronymi Rorario**, a. 1539 in Poloniam mittendi erant duae: altera erat, ut regem Sigismundum adduceret ad auxilium contra Turcas ferendum noviter reconciliatis regibus Hungariae post cladem Altinensem divisae, Ferdinando Austriaco et Ioanni Zápolya, altera, ut principi Sigismundo Augusto, qui Lutheranis favere videbatur, gladium et pileum, signa unionis principum cum Sede Romana, apportaret. Nuntius, 29 die Iunii nominatus¹¹⁵, a. 1485 in Portu Naonis (Pordenone) natus est. Gradum doctoris utriusque iuris in universitate studiorum Patavina adeptus, annis 1508-1516 variis muneribus publicis in ministeriis imperatorum Maximiliani I et Caroli V fungebatur et "Dialogos" suos scribere cooperat. Quorum unus erat commentarius eius post mortem Iulii II († 20 II 1513) conscriptus, Curiae Romanae infensus, "Iulius exclusus e coelis" inscriptus, quamquam qui eius

¹¹⁰ Cfr. infra, N. 8-9. Legatio Rorarii (vide) ex eiusmodi notitiis orta est.

¹¹¹ Vide N. 16; Friedensburg NBD I/2, p. 42, 96, 101.

¹¹² Paulus III ad Strassoldum, "cuius opera nuper apud Ser. mum Regem Poloniae usi sumus", AV, Arm. 41, ms. 5 f. 139r; cfr. etiam Arm. 29 ms. 101f. 679r-v.

¹¹³ I. a. officia ei commissa m. Septembri a. 1542, cum - sopita seditione contra Ioannem et Cosmum Pazzi concitata - res in Castro Civitellae recompositae et damna duci Mantuae et Bononiensibus, ex ordinatione fluvii Rheni, ubi in Padum influit, illata, taxata essent (AV, Arm. 41, ms. 25 f. 177r-v, 198r-v).

¹¹⁴ Paschini PS, p. 110-113 (nominatio in gubernatorem Urbis Veteris non memoratur); Gulik-Eubel HC III, p. 281.

¹¹⁵ Cfr. N. 1-6. Dominicus Musso dubitabat Rorarium huic missioni obeundae idoneum fuisse, vide eius litteras ad A. Farnese, 19 IX 1539, Friedensburg NBD I/4, p. 204.

auctor fuerit, non est certum¹¹⁶. Sub pontificatu Leonis X, saltem ab a. 1518, quo tempore titulo protonotarii apostolici ornatus in documentis occurrit, iam inter servitores papae numeratur, est sodalis Academiae Romanae, amicitiae vinculis cum eximiis litterarum et artium liberalium studiosis in Curia degentibus coniunctus¹¹⁷. A. 1523, factus socius legationis Laurentii Campeggi, servitium incipit inter publicos Sedis Apostolicae oratores, pri-
mum in Germania, deinceps Neapoli et in Hungaria (1523-1529, 1534-1535)¹¹⁸. Interea (ante a. 1532) ordinibus sacris accipiendis renuntiavit (hac-
tenus minoribus tantum ordinibus insignitus erat) et uxorem duxit in Portu Naonis¹¹⁹, ubi - secundum Paschini - usque ad tempus, quo ad missionem Austriacam, Hungaricam et Polonam nominatus est, commorabatur¹²⁰. Atta-
men minutae brevium, sua manu exaratae¹²¹, demonstrare videntur eum
iam ante hanc nominationem unum ex secretariis Pauli III fuisse.

Legatus et eius comites non nisi circa 22 diem Augusti 1539 a. Roma discesserunt. Post longiorem commorationem Venetiis et Portu Naonis, ubi Rorario numerum sociorum legationis suae complebat (13 personae eum in Poloniā euntem comitatae sunt) et res nonnullas privatas curabat¹²², tan-
dem 19 Octobris Vindobonam pervenerunt, unde - expletis negotiis sibi com-
missis, apud archiducem Ferdinandum conficiendis - 30 Octobris Budam profecti sunt¹²³. Diebus 16 XI - 18 XII nuntius animum imprimis intendit ne-
gotiis cum defensione contra Turcas constituenda coniunctis apud Ioannem Zápolya conficiendis et confirmandis episcopis ab eodem rege Hungariae no-
minatis¹²⁴. 11 I 1540 a. fines Poloniae ingressus est et 14 I Cracoviam venit,
ubi usque ad finem commorationis suae, scil. ad 5 IV, una cum comitatu suo,
sumptu regis hospitio excipiebatur¹²⁵. Legationam suam conclusit duabus

¹¹⁶ Cfr. Paschini AS, p. 96-97 (affirmat); Stange, p. 535-588 (negat); Jedin GKT I, p. 91-92, 499 (dubi-
tate). De reliquis Dialogis Rorarii vide Paschini GR, p. 213-216.

¹¹⁷ I. a. cum Blosio Palladio, v. Merkle CT II, p. 185. Cfr. Paschini GR, p. 169.

¹¹⁸ Paschini GR, p. 169-185. Cfr. AV, Div. Cameralia, ms. 86 f. 26r-v et Laemmer, p. 20-22. De infe-
lici et irrita missione in Hungariam, vide Pociecha KB IV, p. 185-186.

¹¹⁹ Vide epistulam Clementis VII ad Hieronymum Rorario, "clericum Concordiensem", 14 XI 1532,
qua permisit ei, ut paroeciam in Cormons retineret, etiamsi ordines sacros accipere non intenderet (ti-
tulo protonotarii apostolici iam privatus erat, AV, Arm. 40, ms. 41 f. 236r). A. 1540 renuntiat reditibus, a
Carolo V in Vicariatu Imperiali Aquileiensis ei assignatis, qui ad filium ipsius Rutilium transeunt (Rora-
rio ad Morone, 7 XI 1540, autogr. Milano, BA, ms. O. 230 sup., f. 100r); Paschini (GR, p. 199) censet Ro-
rarium uxorem duxisse circa a. 1530.

¹²⁰ Paschini GR, p. 185.

¹²¹ I. a. etiam brevia nominationis suae propriae ipse componebat, cfr. infra, p. 314.

¹²² Vide infra. N. 7-8. Cfr. Ováry, p. 75; Lestocquoys ANG I, p. 485; Friedensburg NBD I/4, p. 217, 224,
536; Cardaus NBD I/5, p. XXXVIII-XL et 9.

¹²³ Vide infra, N. 9. Cfr. Ováry, p. 79-81; Dittrich NBD 1, p. 35, 37, 42-44.

¹²⁴ Vide infra, N. 10-13.

¹²⁵ Cfr. infra, p. 346 et particulariter integrum N. 19.

orationibus: itaque medio mense Ianuario Sigismundum I et eius filium exhortabatur, ut ad Hungariam a Turcis defendendam intercessores et conciliatores se praevererent inter Ferdinandum Austriacum et Ioannem Zápolya, 15 autem die Februarii in templo cathedrali Cracoviensi, coram legatis comitiorum et senatus, pileum et gladium consecratum Sigismundo Augusto "trudebat, admirabili oratione ad eum habita, ut fidei sanctae christianaef defensor esset, turbas vero in regionibus Germaniae concitatas abhorreret, quae ob defectionem ab unitate Ecclesiae Universalis tantas angustias et bella illic pepererunt"¹²⁶.

Rorario eadem via in Italiam revertebatur, qua in Polonię iter faciebat, id est per Budam et Vindobonam. In Portu Naonis, quo 13 VI 1540 pervenit, diutius substituit, nam nova de rebus Hungaricis mandata exspectabat. Sed quamquam iam 9 Novembris Romam inde proficisci in animo habebat, ut de expleta legatione rationem redderet¹²⁷, nunquam illuc revertisse videtur. In Portu Naonis remansit et se totum familiae suae dedit. Ibi quoque 21 XII 1556 diem obivit supremum¹²⁸. Ad facilem missionem Polonię a. 1539/40 peractam quodammodo etiam pertinet propositum a Rorario cardinali Marcello Cervini per litteras 30 VII 1545 a. perscriptum, ut regni Poloniae heres summi pontificis neptem, Victoriam Farnese, uxorem duceret. Pro huiusmodi connubio ad effectum adducendo episcopus Cracoviensis Petrus Gamrat dignitate cardinalis insigniri debebat¹²⁹.

Nova concilii generalis convocatio, a Paulo III Tridentum ad diem 1 XI 1542 a. indicti facta, causa fuit novae legationis intimandi concilii causa in Polonię mittendae. Munus hoc 29 Iulii eiusdem anni **Ottoni Truchsess** commissum erat¹³⁰. Qui, 25 II 1514 a. natus, Bavarska gente baronum a Waldburg, cum regia Poloniae familia amicitia iuncta¹³¹, originem duxit. Litterarum et theologiae studiis absolutis Patavii, Papiae et Bononiae, ubi linguam Italicam penitus cognovit, a. 1540 camerarius pontificius nominatus, excellentem suum honorum ecclesiasticorum cursum tum inchoavit futuri episcopi Augustani (1543) et cardinalis (1544), eximii litterarum humanarum et divinarum doctoris et Ecclesiae secundum Concilii Tridentini consilia

¹²⁶ "oddawał, rzecz cudną do niego uczyniwszy, aby wiary św. chrześcijańskiej obroną był, a kajał się zamieszaniem stron niemieckich, które swoim odstąpieniem od jedności Kościoła Powszechnego o wielkie trudności i wojny przyszły", Bielski, p. 525. Vide infra, N. 14-16.

¹²⁷ Epistula ad Morone, Milano, BA, ms. O. 230 sup., f. 100r. Cfr. infra, N. 21 et epistulas editas ab Ováry, p. 104-105, 108.

¹²⁸ Paschini GR, p. 199-200.

¹²⁹ Cfr. Buschbell CTX/1, p. 138, annotationem 1.

¹³⁰ Cfr. infra, N. 1-2. Bulla inductionis edita erat 22 V 1542, cfr. Ehses CT IV, p. 226-231.

¹³¹ Vide Pociecha KB II, p. 47.

et instituta emendatoris et correctoris¹³². Itaque magno comitatu, quem ex parte pecunia sua alebat¹³³, Truchsess se primum in Imperium, Norimbergam, contulit, ubi 13 VIII 1542 a. principibus et episcopis Germaniae concilium intimavit¹³⁴, deinde iter pergens per Vindobonam 12 X eius anni Cracoviam advenit. Concilium a nuntio intimatum est 15 X, sed antequam responsum darent, rex et episcopi exspectabant exitum synodi provincialis, quae ad 17 X Petricoviae indicta erat. Quam ob rem promissionem certam de legatis Polonis Tridentum mittendis nuntius non prius quam 6 die Novembris nactus est, duabus vero diebus post, per Vindobonam et Venetias, recta Romam profectus est¹³⁵. In Polonia summa hospitalitate et maximis honoribus exceptus erat. Vix tamen credebat promissione episcopos Polonus Tridentum re vera profecturos esse, propterea iam ante suum Romanum redditum (circa 10 I 1543 a.) suadebat, ut papa Polonis calcar adderet, datis ad praestantiores eorum brevibus adhortatoriis¹³⁶. Quod tamen mox, cum initium concilii denuo dilatum esset, supervacaneum apparuit.

Etiam nuntius, qui sex annis post in Polonię mittebatur, in commissis habebat auxilium Polonum pro concilio impetrare, concilio inquam, quod tandem a. 1545 in civitate Tridentina inchoatum, a. 1547 a Paulo III Bononię translatum est. Rationem huius translationis regi Sigismundo I reddere debebat **Hieronymus Martinengo**. Brixiae 19 IX 1504 a. vetusta nobilium familia natus, futurus nuntius studia iuris et theologiae circa a. 1527 Patavii absolvit. A. 1529 adeptus est lucrosam abbatiam commendatariam in Leno, ordines tamen sacros non nisi a. 1541 accepit, propterea fortassis, quod a. 1540 Romanum demigraverat, ubi camerarius secretus Pauli III factus est¹³⁷. Consilium, ut Martinengo in causa concilii in Polonię mitteretur, mense Februario 1548 a. a legato conciliari, cardinali Marcello Cervini, factum est¹³⁸. Litteras credentiales tamen nuntius non prius obtinuit quam 21 die Iunii, cum adjuncto munere, ut novo regi Sigismundo Augusto de obitu patris

¹³² Vide Schwarz (de nuntiatura Polona in p. 77-89, nihil novi). Cfr. Gulik-Eubel HC III, 29, 123.

¹³³ "Spende dal suo molte centinaia de scudi, perché mena seco grossa famiglia et molto ben garnita", nuntius Vindobonensis Hieronymus Verallo ad A. Farnese, Vindobonae 2 X 1542, Cardauns NBD I/7, p. 259.

¹³⁴ Cfr. Ehses CT IV, p. 234-237, Jedin GKT I, p. 368-370.

¹³⁵ Vide infra, N. 4-8; cfr. Itinerarium (infra, p. XLII).

¹³⁶ Vide infra, p. 363-364 et N. 9. Cum per Venetias transiret, 21 XII 1542 a. nuntio in illa urbe Fabio Mignanelli dixit, "che pochi hanno promesso venire" et "che el re di Polonia mandarà, vedendo che si possa celebrare [il concilio]", Ehses CT IV, p. 261.

¹³⁷ Vitam Hieronymi Martinengo, antequam ad nuntiaturam Polonam nominatus erat, et posteriore nuntiaturam eius Vindobonensem, descripsit Goetz (NBD I/16, p. VI-XIX). Nonnulla supplementa hac in parte afferro in commentario meo de missione eius in Polonia (Wojtycka PP, p. 54-60; versio Italica, aucta, sub prelo).

¹³⁸ Vide infra, N. 1.

(† 1 IV 1548) condoleret et de regni successione gratularetur¹³⁹. In brevi expeditionis, 12 VII dato, summus pontifex nuntio suo etiam iniunxit, ut discordias et controversias, propter matrimonium novi regis cum subdita sua, Barbara Radziwiłł, initum exortas, componere Regnumque pacare nite-retur¹⁴⁰. In instructione, 15 VII data, instinctu cardinalis Alexandri Farnese apparata, praeter munera supradicta nuntio etiam committebatur, ut modos et vias quaereret Moscoviam ad unitatem fidei cum Ecclesia Romana adducendi, et varia quoque expediret negotia, cum curtisanis Polonis (qui vocabantur) Romae degentibus coniuncta. Quod, ut postea manifesto apparuit, auctoritatem nuntii non parum infirmavit eiusque legationis fructus graviter deminuit¹⁴¹.

Cum Martinengo tandem 23 VIII 1548 a. per Vindobonam Cracoviam advenisset, cognovit novum regem se privatim Radomiae, ubi tunc commorabatur, excipere nolle, ita ut missionem suam non nisi 5 IX Sandomiriae explere potuerit. Postero autem die urbanum quidem et affabile, sed ambiguum responsum ei datum est, quo rex de nuntiis Polonis Bononię ad concilium mittendis et decreto de proscribendis curtisanis abrogando respondebat haec ex consensu futurorum Regni Comitiorum, mox Petricoviae celebrandorum, pendere¹⁴². Quamvis nuntius paratus fuerit Petricoviam se conferre, ut negotia sibi commissa in Comitiis referret, rex tamen eum dehortatus est, ne hoc faceret, et per ambages mentem suam ei aperuit se malle, ut nuntius - propter difficultates ob connubium suum exortas - extra fines Regni nunc versaretur¹⁴³. Cui ergo nil aliud restabat faciendum quam Romam reverti. Antequam tamen id faceret, Varsavię et Lovicium se contulit, ad reginam matrem Bonam et archiepiscopum Nicolaum Dziergowski, "matrimonii Lithuaniae" Sigismundi Augusti acerrimos adversarios. Quo facto animum regis totamque aulam eo magis a se abalienavit. Quam ob rem, cum redisset Cracoviam, eo facilius 21 IX 1548 a. veniam ex Polonia discedendi consecutus est. Itaque, duabus diebus post, viam redditus in Italiam ingressus est¹⁴⁴. Legationem eius infelicem et irritam fuisse paene omnes censem, non tam propter lapsus quosdam et errores a nuntio commissos, quam ob tempus parum opportunum, quo in Polonię venire ibique agere ei contigit¹⁴⁵.

¹³⁹ Vide infra, N. 2-4; cfr. Wojtyska PP, p. 55.

¹⁴⁰ Vide N. 5; cfr. Kuchowicz, p. 169-189.

¹⁴¹ Vide N. 6 et 15.

¹⁴² Vide N. 11-15, 17. Cfr. Itinerarium (infra, p. XLII-XLIII).

¹⁴³ Vide infra, p. 409; cfr. Wojtyska PP, p. 58.

¹⁴⁴ Vide infra, p. 409; cfr. Wojtyska PP, p. 58-59.

¹⁴⁵ Cfr. Dembiński, p. 17-19; Wierzbowski JU, p. 220-221; Jan Korewa, *Les débuts de la Compagnie de Jésus en Pologne, 1549-1564*, "Archivum Historicum Societatis Jesu", 34 (1965), p. 4.

Summum culmen honorum, quos Martinengo in posteriore vitae suae curriculo consecutus est, haud dubie existimari potest munus nuntii, quo in aula regis Romanorum Ferdinandi Vindobonae annis 1550-1554 fungebatur. Nec tamen dici potest eum hoc quoque loco valde enituisse¹⁴⁶. Deinde per triennium Camerae Apostolicae "praeses" fuit, donec 9 III 1561 a. nuntius in Anglia eo consilio nominatus est, ut reginam Elisabeth invitaret, quo in tercia parte Concilii Tridentini interesset. Sed hic quoque male ei cecidit, nam ne ingressus quidem in insulam ei permissus est. Post redditum Romam, usque ad mortem, quae 10 XI 1569 a. in Urbe eum oppressit, erat "camerarius assistens" in aulis Pii IV et eius successoris Pii V¹⁴⁷.

Procul dubio una ex minime contortis et facillimis legationibus concredita erat **Marco Antonio Maffei**, ex hac serie "nuntiorum minorum" in Poloniā missorum ultimo. Qui a. 1553 a Iulio III munus obtinuit, ut Sigismundo Augusto de nuptiis cum tertia iam uxore, Catharina Austriaca, regis Ferdinandi filia, initis, gratularetur eisque nomine pontificis interesset. Cum tamen sponsa soror germana fuerit primae uxoris regis, Elisabeth († 15 VI 1545), simulque eius secundi gradus consanguinea (nam mater eius Anna, fuit filia regis Hungariae Vladislai Jagellonici, fratri Sigismundi I), necessitas orta est dispensationis a dupli impedimento: affinitatis et consanguinitatis. Ambae partes dispensationis gratiam a papa imploraverunt et simul petierunt, ut per nuntium suum regias nuptias honorare vellet. Iulius III die 23 V 1553 a. expostulatam dispensationem impertivit¹⁴⁸, munus vero eam potentibus porrigendi et nuptias nomine suo cohonestandi Marco Antonio Maffei demandavit¹⁴⁹.

Maffei, gente Romanus a. 1522 natus, cursum honorum ecclesiasticorum in Curia Romana incepit a fratre suo natu maiore, magnae auctoritatis cardinali Bernardino, ab a. 1550 Regni Poloniae protectore, adiutus. Utriusque iuris studiis (fortassis Romae) absolutis, inde ab a. 1548 munere advocati consistorialis et advocati fisci Populi Romani fungebatur¹⁵⁰. Tali insignitus dignitate, autumno a. 1548 Sigismundo Augusto a nuntio Hieronymo Martinengo commendatus est etiam ad munus "advocati Regni Poloniae" in Curia Romana obeundum et a rege approbatus est¹⁵¹. Missio in Poloniā novam dignitatis et honoris accessionem ei attulit, nam pridie profectionis referen-

¹⁴⁶ Cfr. Goetz NBD I/16; opinio in p. XIX.

¹⁴⁷ Cfr. Wojtyska PP, p. 60.

¹⁴⁸ De origine legationis Maffei et eius decursu vide Wojtyska PP, p. 60-64.

¹⁴⁹ Vide infra N. 1-5.

¹⁵⁰ Vide Wojtyska PP, p. 61.

¹⁵¹ Vide infra, p. 403.

darius Utriusque Signaturae et protonotarius apostolicus nominatus est¹⁵². Eius in Poloniā profectio (iam 28 aut 29 die Maii, Adamo Konarski, "factore" regio in Urbe, comitatus, Roma discessit), commoratio Vindobonae, quae a 14 ad 19 Iunii duravit, ubi donum nuptiale sponsae regiae porrexit, sollemnis salutatio ad portas Cracoviae die 30 Iunii facta, honores, qui in sollemnitate coronationis Catharinae et nuptiarum, 30 Iulii celebrata, liberaliter ei tributi sunt, obsequia tandem et officia, quae toto commemorationis in Polonia tempore usque ad 11 diem Augusti 1553 a. ei deferebantur, accurate et prolixe describuntur in illorum temporum scriptis ad nostram aetatem asservatis et praesertim in "Panegyrico nuptiarum Sigismundi Augusti Regis", a Stanislao Orzechowski composito¹⁵³. Cum Maffei in Polonia degeret, Romae die 16 VII 1553 mortuus est frater eius Bernardinus, qui duos dies ante mortem archiepiscopatum Theatinum ei cesserat. Cuius possessionem Marcus Antonius, post redditum ex Polonia, exeunte mense Septembri accepit, sed in Curia residere pergebat et usque ad a. 1559 munere referendarii Utriusque Signaturae et inde ab a. 1555 etiam vicelegati Patrimonii s. Petri fungebatur. A. 1560 nominatus est custos antiquitatum Urbis, anno autem 1570 sacra purpura decoratus est. Obiit Romae 22 VIII 1583 a.¹⁵⁴ Usque ad mortem amicitiam cum Polonis, praesertim cum Martino Cromero et Stanislao Hosio, colere non destitit. Intercessorem quoque se praebuit inter Iesuitas Romanos et episcopos Polonus in negotio de Societate Iesu in Poloniā introducenda¹⁵⁵.

3. De scriptis ad nuntiaturam spectantibus.

Scripta, ad nuntiaturam Polonam primae partis saeculi XVI pertinentia, magna ex parte non completa et variis locis sparsa ac dissipata sunt. Ad nostram enim aetatem ne unius quidem nuntii tabularium privatum asservatum est, quamquam non ignoramus saltem Ferrerium registrum documentorum a se editorum tenuisse (cuius rei testes sunt annotationes a secretariis eius in diplomatibus asservatis exaratae)¹⁵⁶ atque epistularum suarum

¹⁵² Vide correctiones in originalibus brevium nominationis, primum 22 V 1553 datis, quae, insertis novis titulis, rescripta sunt et 27 V datata, AV, Arm. 41, ms. 68 f. 215r-v, 244v, 247v-248r; cfr. Katterbach, p. 111.

¹⁵³ Vide Wojtyska PP, p. 62-64.

¹⁵⁴ Cfr. Katterbach, p. 111; Merkle CT II, p. 598; Gulik-Eubel HC III, p. 43, 311.

¹⁵⁵ Wojtyska PP, p. 64.

¹⁵⁶ Vide notas provenientiae in N. 49, 51.

et ad se datarum exemplaria custodivisse. Privati eius tabularii indicium et vestigium censeri possunt scripta quaedam sua (ex. gr. epistula ad Lutherum, orationes et decreta), quae ipse, antequam ex Polonia discessisset, confessit et proprio sumptu 28 Iunii 1521 a. apud celebrem illum typographum Cracoviensem, Ioannem Hallerum, publici iuris fecit¹⁵⁷.

Ex collectionibus privatis Hieronymi Martinengo, qui Romae mortuus erat, describi potuerunt aliqua documenta, ad nuntiaturam eius spectantia, quorum - et multorum aliorum - apographa conficienda curavit Ioannes de Berzosa, "Hispanus, in illa urbe tabularius, a Philippo II Hispaniarum rege nominatus"¹⁵⁸. Nam in primo ex 21 ab eo confectis voluminibus documentorum Romanorum, quae ad extera Sanctae Sedis negotia, secunda XV et prima XVI saeculi parte expedita, pertinent, et quae nunc partem efficiunt sectionis **Secretaría de Estado** (ms. 2002-2022) **Archivi Generalis Septimancae** in Hispania, servantur tam exemplaria instructionis privatae, ab Alexandro Farnese illi nuntio datae, quam epistularum ad eum scriptarum; apographa autem aliorum documentorum, ad nuntiaturam eius attinentium, confecta sunt ex exemplaribus (quod expresse significatum est), quorum possessor haud dubie ipse fuit¹⁵⁹. Alia tamen vestigia tabulariorum privatorum, quae nuntiorum illius temporis propria erant, non reperiuntur.

Itaque cum scripta, ab ipsis nuntiis asservata, desint, principales fontes, quibus in hac editione nixi sumus, sunt collectiones ab eorum mandatariis, qui simul relationum eorum receptores erant, relictæ, et tabularia illorum, apud quos munere suo fungebantur.

Ad primas pertinent praesertim collectiones scriptorum et diplomatum, quae in *secretariatu pontificio*, qui tunc, ut ita dicamus, vix in statu nascendi erat, edita et servata sunt. Nam Secretariatus Status tum nondum exstebat, officium vero cardinalis nepotis, cui (in principio de nomine tantum) negotia extera Sedis Apostolicae et commercium epistularum cum nuntiis subiacebant, non nisi a. 1539, sub pontificatu Pauli III, ortum est (cardinali nepte Alexandro Farnese)¹⁶⁰. Ad illud usque tempus epistulas publicas (ad principes, episcopos etc.) primum ipsi pontifices (Leo X, Hadrianus VI) subscribere solebant, ad eas componendas selectis secretariis domesticis utentes, postea vero secretarii, quibus papae (Clemens VII et initio etiam Pau-

¹⁵⁷ Vide Ferreri OT. Cfr. Ferreri VBC (consulto editum non indicato editionis loco, procul dubio apud eundem Hallerum).

¹⁵⁸ Vide *Archivo General de Simancas. Catálogo XIV. Inventario razonado de los papeles de estado de la negociación de Roma y materias eclesiásticas, Años 1381-1700*, Valladolid 1936, p. 135.

¹⁵⁹ Vide Simancas AG, Estado 2002 (Berzosa 1) f. 31r-40r; cfr. infra N. 7. Volumen 2006 huius collectionis nunc Lutetiae Parisiorum servatur (vide in catalogo supranominato, p. 135).

¹⁶⁰ Leone X regnante munere hoc partim fungebatur card. Julianus de Medicis. Cfr. Kraus, p. 77.

lus III) id nomine suo perficiendum committerent, eas subscribebant¹⁶¹. Omnia tamen diplomata principalia, ut erant nominationes, litterae credentiales, facultates, litterae passus - ad Ferrerium autem et Rorarium quod attinet, etiam instructiones - toto temporis spatio, de quo hic sermo est, ab ipsis pontificibus subscribebantur. Concepta seu minutae eiusmodi diplomatum - quae in **Armariis 38-41 Tabularii Vaticani** asservantur, et quae in forma brevis a lectis secretariis composita et exarata erant - inter optime asservatas, completas et servato temporis ordine dispositas fontium collectiones numerantur, ex quibus haurimus, exceptis registris brevium Ferrerio et Nigro datorum, quae perierunt (quorum tamen exemplaria in "Tomicianis", de quibus infra, inveniuntur). Brevia expeditionis reliquorum nuntiorum, in unum congesta, in collectionibus istis accessu satis facilia sunt¹⁶². Pretiosum vero volumen minutarum, continens "Brevia Clementis VII ad principes per Sadoletum exarata", spatium temporis a 31 I 1524 ad 2 VII 1532 a. comprehendentia, quod in Armario 44, ms. 9 (538 folia) servatur, ex hereditate post ipsum Iacobum Sadoletum proveniens, propter personam eximii huius littarum Latinarum studiosi, una cum 14 epistulis pontificis, ad missionem Ioannis Antonii Buglio et Ioannis Francisci Cito pertinentibus, a Petro Balan ex toto typis editum est¹⁶³.

Nonnulla documenta ex minutis supra nominatis ab Hugone Laemmer et Augustino Theiner publici iuris facta sunt¹⁶⁴. Primus tamen, qui scripta in supradictis Tabularii Vaticani sectionibus custodita penitus exploravit et in operibus suis lucrificit fere omnia, fuit haud dubie Iosephus Garampi, qui in sua *Synopsi Legatorum et Nuntiorum Apostolicorum in Polonia*, quam annis 1773-1778 apparandam curabat, his imprimis innixus documentis, prima linamenta historiae nuntiorum, de quibus hic loquimur, elaboravit¹⁶⁵.

Per secretariatum non sunt tamen expeditae facultates Ferrerii et Citi, quae similiter ac facultates multorum aliorum nuntiorum saeculi XVI, in forma bullarum confectae erant, quarum expeditio Cancellariae Apostolicae subiacebat; propterea earum regisra ad nostram usque aetatem asservata

¹⁶¹ Cfr. Kraus, p. 76.

¹⁶² Vide AV, Arm. 39, ms. 44 f. 263r-265v (Buglio), ed. Theiner VMPL II, p. 414-415; Arm. 40, ms. 10 f. 361r (Fabro) et f. 363r-v, 371r-v (Cito); Arm. 41, ms. 3 f. 89r-92r (Strassoldo); ms. 13 f. 535r-542r et 420r-423v (Rorario, hic etiam instructio a Laemmer edita, p. 205); ms. 24 f. 515r-518r (Truchsess); ms. 42 f. 257r-264r, 340r-341r (Martinengo); ms. 68 f. 242r-251r (Maffei).

¹⁶³ Vide Balan, p. 160-187 passim, 356-359 (erronee attribuit Hieronymo Rorario epistulam a Cito 11 IV 1526 scriptam).

¹⁶⁴ Vide supra, annotationem 162.

¹⁶⁵ Cfr. Garampi SL, f. 58ar-61br. Documenta, quibus ad parandum hoc opus usus est, in AV servantur, Nunz. Polonia 395, fasc. 2-4 ac in Fondo Garampi, ms. 31/4. Cfr. Wojtyska ANP I, p. 90-93.

sunt in libris registrorum huius Curiae Romanae ministerii, ordine chronologico dispositis, qui in Tabulario Vaticano **Registra Vaticana** appellantur¹⁶⁶.

Multo minus completum - si cum documentis principalibus comparatur - est epistularum commercium, cuius registra, ante expeditionem confecta, et collectiones originales, si de epistulis a nuntiis ex Polonia in Urbem pervenientibus agitur, aut in ipso secretariatu pontificio, aut in archivis privatis secretariorum et cardinalis nepotis Alexandri Farnese inveniri deberent.

Copiosum, 16 fasciculis constans, registrum epistularum ad nuntios et alias personas a secretario Leonis X, Petro Ardinghelli, nomine summi pontificis et eius nepotis, card. Iuliani de Medicis, datarum, antea in archivio familiae Ardinghelli servatum, a. 1866 a marchione Carolo Torrigiani **Tabulario Status Florentino** traditum (Mss. Torrigiani, involucrum I, fasc. 2)¹⁶⁷, concluditur a. 1519, exceptis paucis additamentis posterioribus, et nihil continet, quod ad Ferrerium et Polonię pertineat, praeter pretiosissimam clavem, ut aiunt, ad explanandas notas secretas adhibitam, primam id genus "clavem" in historia relationum exterarum Poloniae, quae plane demonstrat commercium epistularum inter nuntium et Curiam Romanam re vera intercessisse¹⁶⁸, quamquam in collectionibus curialibus epistularum, quae a Ferriero in Urbem perveniebant, nullum omnino habetur vestigium.

Res hac in parte in melius mutatae sunt, postquam secretarii domestici Clementis VII, eximius postea episcopus et rerum ecclesiasticarum emendator, Ioannes Matthaeus Giberti (1495-1543), et non minus egregius bonarum litterarum et artium liberalium cultor, Iacobus Sadoletus (1477-1547), iam ipsi cum nuntiis commercium epistularum habere et magna auctoritate in expediendis Sedis Apostolicae exteris negotiis frui cooperant. Epistulae quidem ab eis ad nuntios in Polonia scriptae ad tempora usque nostra non sunt asservatae (excepta una, quae in reliquiis minutarii Gibertiani invenitur)¹⁶⁹, sed in aliquot codicibus, a Sadoleto in Vaticano relictis, servatum est integrum corpus epistularum originalium, a nuntiis Clementis VII ad Giberti et ab illo ad nuntios datarum. Longe tamen inter illas pretiosissimum, 368 folia continens, est haud dubie volumen originalium litterarum Ioannis Anto-

¹⁶⁶ Vide infra, Ferreri N. 11 et Cito N. 1-2.

¹⁶⁷ Cfr. Cesare Guasti, *I manoscritti Torrigiani donati al R. Archivio Centrale di Stato di Firenze. Descrizione e saggio*, "Archivio Storico Italiano", serie III, 19 (1874), p. 17.

¹⁶⁸ Cfr. Ferreri, N. 10. Etiam "Registro e minute di lettere scritte per ordine della gloriosa memoria di Leone X alli nuntii", anno 1519 concluditur et nihil continet, quod ad Polonię spectet (vide AV, Lett. Particolari, ms. 153).

¹⁶⁹ Annos 1524-1527 complectente; servatur in AV, Lett. Particolari, ms. 154; vide Buglio N. 4. In epistularum commercio Sadoleti typis edito (vide Bibliographiam) inveniuntur tantum epistulae nomine Clementis VII ad nuntios datae (cfr. supra).

nii Buglio, ad Giberti et Sadoletum ex nuntiatura eius Polona et Hungarica annis 1524-1527 datarum, satis bene asservatum in Tabulario Vaticano, **Nunziatura di Germania**, ms. 55. Magnum huius voluminis pondus et momentum, praesertim ad res gestas Hungarorum illustrandas quod attinet, primus animadvertisit Augustinus Theiner, qui iam a. 1860 ex eo (et ex simili volumine in Nunziatura di Germania 53 servato, epistulas originales legati Laurentii Campeggi annis 1524-1529 datas continente) deprompta, publici iuris fecit sat conspicua "Excerpta... ab a. 1524 usque ad cladem Munkacsensem"¹⁷⁰. Postquam a. 1882 Tabularium Vaticanum viris doctis historiae studiosis patefactum est, documenta haec fundamentum fuerunt primae in historia Sedis Apostolicae editionis "Relationum nuntiorum apostolicorum", quae a. 1884 ab Hungaro rerum gestarum studioso, Gulielmo Fraknói, publicatae sunt¹⁷¹. Cum tamen res Polonae in epistulis Ioannis Antonii Buglio cum rebus ad Hungariam et Bohemiam spectantibus commixtae sint, opportunum visum est ea tantum ex hoc volumine manu scripto "excerpta" iterum publicare, quae historiae Polonae studiosorum interesse quodammodo possint, reliquorum vero fragmentorum, cum editionem Gulielmi Fraknói Hungaris accessu facilem esse suspicemur, summaria tantum confidere. Epistulae autem ad Polonię nihil attinentes omnino praetermissae sunt.

Aliud manuscriptum ex hereditate a Sadoleto relicta proveniens, epistulas continens ad eum illo tempore datas, quo Clementi VII a secretis erat, est ms. 6522, 147 foliis constans, in **Tabulario Arcis s. Angeli** (in AV) servatum. In quo i. a. inveniuntur omnes epistulae originales nuntiorum Fabro et Cito, ad legationem eorum in Polonia expletam pertinentes (quae a Theiner partim editae sunt)¹⁷². Quibus si adiciamus adhuc scripta, quae Buglio suis epistulis adiuncta Sadoleto mittebat (ex.gr. annexa ad tractatus Budenses de pace inter Polonus et Cruciferos concludenda et ad componendas controversias de canonicatu Cracoviensi dioecesi Plocensi adiuncto, necnon decreta regis Sigismundi a. 1525 contra Lutheranos Gedanenses lata), in manuscripto in Bibliotheca Vaticana, Vat.Lat. 3924, ab editoribus Hungarisi et Polonis praetermisso, servata¹⁷³, affirmare possumus omnia ferme documen-

¹⁷⁰ Vide Theiner VMH, p. 716-802.

¹⁷¹ In hac editione omissae sunt quattuor epistulae Ioannis Buglio a. 1527 ad Sadoletum datae (ms. 55 f. 358r-367r).

¹⁷² Vide AV, AA I-XVIII 6522 f. 10r-29v (Fabro) et f. 73r-82v (Cito). Cfr. Theiner VMPL II, p. 437-444 passim.

¹⁷³ Manuscriptum hoc duabus partibus, 455 foliis constat. Continet i.a. pretiosissimas relationes de usu pecuniarum, quas Buglio ad instituendam defensionem Hungariae contra Turcas tradebat, diaria et exemplaria decretorum comitiorum Hungariae ante pugnam Altinensem et eiusdem pugnae descriptions. In f. 337r-350v et 393r-399v documenta ad Polonię spectantia.

ta, ad nuntiaturam Siculi nostri pertinentia, ab eo expedita, in Vaticano reperiri.

Totum fere corpus documentorum ad nuntiaturam Pamphili de Strassoldo, pontificatus Pauli III primam, spectantium, quae rerum gestarum studiosi hodie omnino assequi possunt, in tribus diversis fontibus servatur. Itaque litterae credentiales in minutariis brevium, de quibus diximus supra, inveniuntur¹⁷⁴. Scripta, ad intimationem concilii generalis attinentia - scil. tres instructiones, itinerarium et exemplaria responsorum, quae hactenus asservata sunt - ex volumine proveniunt, ad usum cardinalis Hieronymi Aleandro confecto, qui praecipuus summi pontificis consiliarius fuit in causa concilii et - ut suspicari possumus - instructionum auctor¹⁷⁵ (instructio secreta, itinerarium et elenches episcoporum Polonorum procul dubio adiutore quodam Polono exarata sunt)¹⁷⁶; volumen hoc in **Bibliotheca Vaticana, cod. Vat.Lat. 3915**, custoditur¹⁷⁷. Originales vero epistulae nuntii, quas ex itinere illo ad secretarium domesticum Pauli III, Ambrosium Recalcato, scripserat, in eam partem sectionis **Carte Farnesiane** dictae, id est chartophylacii privati cardinalis nepotis Alexandri Farnese, nos introducunt, quae nunc eo loco servatur, ubi initio custodiebatur, scil. **Parmae in Archivo Status**. Epistulae publicae fere omnes in eo ordinatae et dispositae sunt secundum regiones, ex quibus perveniebant, propterea epistulae ex Polonia missae, tam quae a Strassoldo ad Recalcato scriptae erant, quam litterae Ottonis Truchsess, Cracovia 21 X 1542 a. iam ad cardinalem Alexandrum Farnese datae, qui - postquam Recalcato a. 1539 in offensam summi pontificis incurrerat - praefectus secretariatus pontificii creatus est, servantur in sectione "Polonia" (ms. 119), unde a Valeriano Meysztowicz et Vanda Wyhowska-De Andreis exscriptae et a. 1972 publici iuris factae sunt¹⁷⁸. Nonnullae ex his epistulis, et alia quoque maximi momenti documenta illarum duarum legationum, ad concilii generalis convocationem spectantia, in amplissima et splen-

¹⁷⁴ Vide infra, Strassoldo N. 1-3.

¹⁷⁵ Vide Jedin GKT I, p. 254.

¹⁷⁶ Mentiones de ieuniis in Polonia consuetis, nomina episcoporum et locorum Polonorum plerumque emendatae scripta, vitiatis tamen saepe nominibus locorum in dominiis Austriacis sitorum, id praesertim demonstrare videntur, cfr. infra p. 290-291, 300.

¹⁷⁷ Ms. constat 317 foliis, una eademque manu exaratis. Scripta ad missionem Pamphili de Strassoldo pertinentia in f. 56r-71v et 138r-142v inveniuntur.

¹⁷⁸ Meysztowicz-Wyhowska, p. 4-6, 14-15; vide infra, Strassoldo N. 8-9 et Truchsess N. 5. Friedensburg memorat praeterea binas alias litteras a Strassoldo scriptas, alteras Salisburgo 29 X, alteras Olomucio 11 XI 1536 a. datas (Friedensburg NBD I/2, p. 41-42); non potui tamen eas in aliis sectionibus Parmensibus "Chartarum Farnesianarum" reperire.

dida editione actorum eiusdem concilii, a Stephano Ehses curata, collocata sunt¹⁷⁹.

Collectiones principales commercii epistularum cardinalis Alexandri Farnese a. 1736 Parma **Neapolim** translatae sunt et ibi usque ad 30 IX 1943 a. in **Tabulario Status** servabantur, antequam novissimi belli tempore a Germanis deletae sunt¹⁸⁰. Forte fortuna paucissima solum scripta in eis servata, ad res Polonas spectantia, etsi perierunt, historiae Polonae studio-sis erepta non sunt. Iam enim a. 1879 integrum litterarum commercium, ibi in "Chartis Farnesianis" asservatum, inter Hieronymum Rorario et Alexandrum Farnese intercedens tempore legationis Rorarii, a. 1539-1540 in Austria, Hungaria et Polonia peractae, a Leopoldo Ováry publicatum est¹⁸¹; nos documenta ab illo edita iuxta eandem regulam denuo publicamus vel omittimus, quam ad Ioannem Antonium Buglio adhibuimus. A. 1885 Theodorus Wierzbowski publici iuris fecit ex hac collectione depromptas duas magni momenti epistulas Ottonis Truchsess, a. 1542 ad eundem cardinalem nepotem Cracovia missas¹⁸²; annis vero 1898-1900 Adamus Darowski, mandatu Academiae Scientiarum Cracoviensis, aliquarum, quae ibi servantur, epistularum apographa confecit, reliquas autem accurate annotavit et recensuit, primis singularum epistularum verbis etiam adductis¹⁸³; qua re numerus earum facilius statui (Darowski enim omnes 1842 illius collectionis fasciculos perlustravit)¹⁸⁴ et collocatio certius indicari potest.

Pars tertia "Farnesianorum" (21 mss.), ex collectionibus Neapolitanis haud dubie deprompta, a. 1890 a Leone XIII coempta et in **Tabulario Vaticano** deposita est¹⁸⁵. Pars eorum, ad Concilium Tridentinum et Poloniam imprimis pertinens, iam circa a. 1860 ab Augustino Theiner transcripta est, qui ex eis i.a. aliquot epistulas Hieronymi Rorario et Hieronymi Martinengo typis edidit¹⁸⁶. Scripta haec, quae initio tamquam "bandi sciolti" servaban-

¹⁷⁹ Vide Ehses CT IV, p. 38-40, 50-52 (Strassoldo) et 234-280 passim (Truchsess).

¹⁸⁰ Cfr. Riccardo Filangieri di Candida, *Perdita e ricupero del diplomatico Farnesiano*, in: *Miscellanea archivistica Angelo Mercati*, Città del Vaticano 1952 (Studi e Testi, T. 165), p. 269.

¹⁸¹ Vide Bibliographiam. Epistulae a 18 IX 1539 ad 20 IX 1540 a. datae in p. 76-115 inveniuntur.

¹⁸² Vide infra Truchsess N. 4 et 8. A. 1910 Valterus Friedensburg publicavit ex eadem collectione depromptam unam epistulam Hieronymi Martinengo, a. 1548 scriptam (vide Martinengo N. 9).

¹⁸³ Continebantur in Theca Romana 126, quae vocatur (hodie in BPAN Cracoviae, ms. 8466). In f. 383r-422v inveniuntur completa apographa, minus accurate a Darowski confecta, i. a. epistula Ottonis Truchsess (v. Truchsess N. 4). Cfr. Wojtyska ANPI, p. 131.

¹⁸⁴ Cfr. Kraków BPAN, ms. 8466 f. 2r (relatio de labore facto).

¹⁸⁵ Vide S. Ehses, *Die Carte Farnesiane des Vatikanischen Archivs*, "Römische Quartalschrift", 28 (1914), p. 41. Cfr. Buschbell CTX/1, p. XXXIII.

¹⁸⁶ Theiner VMPL II, p. 528-533, 563-567. Vide notas ad Rorario N. 15-17 et Martinengo N. 17-18, 22. Inventarium apud Stephanum Ehses, *Die Carte*, p. 41-55.

tur a Stephano Ehses in unum congesta et in serie, "Carte Farnesiane" etiam nuncupata, conglutinata sunt (ultimum manuscriptum a. 1921)¹⁸⁶.

Inter eos, qui in Curia Romana litteras publicas accipiebant, numerandus est etiam card. Marcellus Cervini, legatus ad Concilium Tridentinum et nuntii Hieronymi Martinengo patronus. Epistulae originales huius nuntii, ex Polonia eodem tempore scriptae ad ipsum atque eae, quae ad cardinalem nepotem Alexandrum Farnese ab illo mittebantur, ex tabulario familiae Cervini provenientes, in sectione Tabularii Status Florentini, **Carte Cerviniane** dicta, ms. 43 (epistulae a diversis et ad diversos a. 1548 datae, secundum auctores dispositae) hodie servantur¹⁸⁷. Ultimus denique, cui in Curia binae litterae originales Marci Antonii Maffei, Cracovia a. 1553 datae, redditae erant, fuit cardinalis nepos Iulii III, Innocentius Del Monte. Epistulae hae ad nostram usque aetatem asservatae sunt in copiosissimo volumine originalis commercii litterarum nuntiorum, qui annis 1551-1555, sub incepto illo et in callido actionis publicae et negotiorum exterorum Sanctae Sedis moderatore, munere suo fungebantur. Procul dubio a secretario pontificio Hieronymo Dandino, qui vicem principalis sui in omnibus praestabat, in unum congestae, epistulae hae in Tabulario Vaticano, **Lettere di Principi** 119, hodie servantur¹⁸⁸.

Curialis quoque originis¹⁸⁹ esse videntur aliquot exemplaria documentorum, ad Concilium Tridentinum et nuntiaturam Hieronymi Martinengo pertinentium (i.a. copia nitidior responsi Sigismundi Augusti 6 IX 1548 dati, a Sebastiano Ciampi reperti)¹⁹⁰, quae in amplissimo manuscripto II-II 379 (**Fondo Magliabecchiano**) Centralis Bibliothecae Nationalis Florentinae, ex collectione senatoris Thomae Strozzi (1870) proveniente, inveniuntur.

Alterum corpus fontium constat epistulis, documentis et actis, quae in cancellariis eorum principum coacervabantur, ad quos mittebantur nuntii, ergo in cancellariis Sigismundi I et Sigismundi Augusti, regum Poloniae, et Alberti Hohenzollern, magni Ordinis Theutonicorum magistri (Ferreri). Cancellaria autem magni ducis Moscoviae Basilii III (ad quem cogitata missio

¹⁸⁶ Vide annotationem Stephani Ehses et Angeli Mercati in ms. 21.

¹⁸⁷ Vide Martinengo N. 1, 8, 10-11.

¹⁸⁸ Vide Maffei N. 7-8.

¹⁸⁹ Quod demonstrat manus ipsa, qua scripta sunt, et annotatio secretarii pontificii Blosii Palladio in copia litterarum Sigismundi I ad Paulum III 7 XI 1547 datarum: "Lectae per me in Consistorio 14 Xbris 1547. Blosius" (Firenze BNC, II-II 379 f. 457r).

¹⁹⁰ Vide Ciampi BC II, p. 29-31; cfr infra, Martinengo N. 14. Ciampi edidit etiam instructionem Pamphili de Strassoldo (NIPR, p. 62-65, cfr. infra, Strassoldo N. 6) ex manuscripto, cuius ipse possessor fuisse creditur (cfr. Ciampi BC II, p. 33).

Ferrerii et legatio Ioannis Francisci Cito referuntur), ut nunc sunt res, adiri omnino non potest.

In utraque cancellaria Polona, altera maiore (cui cancellarius seu summus cancellarius praeverat, cui res praesertim internae erant subiectae), altera minore (quam vicecancellarius seu procancellarius moderabatur, cui negotia rei publicae extera imprimis suberant), originales epistulae, quae tunc temporis a Sede Apostolica perveniebant vel a nuntiis mittebantur, asservatae non sunt, nam regium tabularium, in arce Cracoviensi custoditum, saeculorum decursu saepe exscoliatum et direptum erat. Servata sunt tamen registra fere omnia actorum et epistularum, quae expediebantur, et interdum etiam earum, quae perveniebant. Tali modo ex. gr. servatae sunt, descriptae in copiosa serie Registrorum Metricae Regni, quae nunc in **Tabulario Principali Actorum Antiquorum Varsaviae** custodiuntur, facultates et nonnulla alia documenta Ferrerii, una cum insueto potius diplomate, quo nuntio, de rebus Poloniae, ut tunc credebatur, bene merito, dimidia pars insignis generis regii conferebatur¹⁹². Similiter ex Libris Legationum; ut vocantur libri registrorum, in quibus acta legationum referri solebant, et qui in cancellaria minore tenebantur, etiam in Tabulario Principali Actorum Antiquorum asservatis, depromere potuimus primam ex publicatis in hoc volume, ad illustrandam originem nuntiaturaे Ferrerii pretiosam, epistulam Sigismundi I ad oratorem Polonum Romae degentem, Erasmum Ciołek, missam, et eiusdem regis responsa aliquibus nuntiis pontificiis data¹⁹³.

Longe tamen pretiosissima ad totam hanc apparandam editionem sunt certo **Acta Tomiciana**, seu collectio omnis generis scriptorum, maxime ad negotia extera Poloniae prima parte saeculi XVI pertinentium, quae a Stanislawo Górskei († 1572), canonico Plocensi et Cracoviensi, secretario episcopi et vicecancellarii Petri Tomicki, cuius memoriam fidus servitor immortalem reddere voluit, in unum congesta erant. Haec unica in genere suo collectio, quam ipse Górski iterum atque iterum complebat, locupletabat et transcribebat, in forma, qua circa a. 1560-1570 ultimum conscripta erat, 24 copiosis voluminibus actorum, annos 1506-1548 comprehendentium, servato temporis ordine dispositorum, et adjunctis aliquot voluminibus actorum selectorum, constabat¹⁹⁴. Fundamentum huius collections sunt 29 **Thecae Górskei**, quae vocantur, in quibus coacervata continentur quattuor milia scriptorum originalium, conceptorum seu minutarum et exemplarium documentorum ad

¹⁹² Warszawa, AGAD, Metr. Kor. ms. 37, cfr. Ferreri N. 32, 34, 45, 52.

¹⁹³ Warszawa, AGAD, Lib. Legat. 5. Cfr. Ferreri N. 1 et 18, Fabro N. 9, Cito N. 25.

¹⁹⁴ Cfr. Marciniak, p. 5.

temporis spatium spectantium, quo Tomicius munere vicecancellarii fungebatur (1515-1535), quae numero quodam scriptorum posteriorum expleta et aucta sunt¹⁹⁵. In huiusmodi Thecis, quae in Bibliotheca Ordinationis Zamoysciana (quae nunc partem efficit **Bibliothecae Nationalis Varsaviensis**) olim servabantur, praeter multas minutias responsorum ad orationes nuntiorum et epistulas regum ad summos pontifices datas, necnon exemplaria bullarum et brevium pontificiorum¹⁹⁶, continentur etiam originales epistulae Ioannis Antonii Buglio et Ioannis Francisci Cito¹⁹⁷, et exemplaria orationis Ottonis Truchsess ad Sigismundum I habitae, una cum scriptis ad intimationem Concilii Tridentini, a. 1542 ab eo in Germania factam, pertinentibus¹⁹⁸.

Multa tamen documenta, quae in hoc volumine publicantur, non ex Thecis Gorsianis proveniunt, sed ab eodem Górski ex aliis fontibus descripta et una cum illis in unam ex tribus collectionibus manu scriptis Actorum Tomicianorum, ab eo curatorum, inserta sunt. In hac nostra editione eo ordine illa usurpavimus, quo singulae collectiones conficiebantur, anteponentes tamen illis exemplaria Collectionis Jagellonicae, quae ante a. 1557 ad usum regis Sigismundi Augusti apparata erat (nunc Cracoviae in **Bibliotheca Jagellonica**, ms. 6547-6563 III, conservatur). Non potuimus tamen usurpare secundum (iuxta ordinem chronologicum) manuscriptum, a Górski post a. 1556 confectum, quod olim gentis Sapieharum et Radivilorum proprium erat. Collectio haec in Rogalin prope Posnanię custodita, ab ultimis eius possessoribus, comitibus Raczyński, Vladislao Pociecha Varsaviam transmissa est, ubi mense Septembri a. 1939 igne consumpta est. Interdum maxime apta et idonea, ut typis ederentur, fuerunt documenta, quae in manuscripto a Stanislawo Górski ad usum proprium post a. 1560 confecto continentur (agitur de collectione Stanislai Karnkowskiego, non completa, hodie variis locis dissipata), propterea quod Górski accurate descripsit in ea et adduxit diem et annum, quo singula documenta scripta erant (quod in Collectione Jagellonica saepe praetermisit)¹⁹⁹. Eisdem collectionibus Actorum Tomicianorum adnumeratur etiam Collectio Andree Opaliński et non completae collectiones poste-

¹⁹⁵ Ibidem, p. 41-46, 182-186.

¹⁹⁶ In theca 29 servatae sunt omnes bullae et instructiones "Antonio Pulleoni datae in Ungariam ad Ludovicum regem" (v. Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 29 f. 165r-171r), procul dubio ex originalibus ab ipso nuntio traditis exscriptae.

¹⁹⁷ Vide Buglio N. 30, Cito N. 33-34.

¹⁹⁸ Warszawa, BN, BOZ, Theca Górska 24 f. 47r-59v (in f. 47r-50v bulla inductionis concilii).

¹⁹⁹ Praecipue pretiosum est ms. 177, Vratislaviae in BOSS servatum, quod i. a. continet magni momenti epistulas Andree Krzycki ad Ioannem Buglio et eiusdem Buglio ad Sigismundum I, necnon scripta ad missionem Gundisalvi de Sangro spectantia. Vide Buglio, N. 19, 23-24, 30.

riores, in **Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae in Kórnik** servatae (mss. 207-228)²⁰⁰, quibus in editione nostra etiam usi sumus. Ex collectionibus minoribus, quae in varios usus conficiebantur, saepe in partes dividendo et dissolvendo manuscripta ipsius Górski, ad hanc parandam editionem praecipue pretiosum nobis visum est volumen actorum et epistularum commercii cum Sede Apostolica intercedentis, cuius partes vetustissimae ab ipso Górski in usum palatini Vilnensis Nicolai Radziwiłł adhuc ante annum 1545 curatae sunt²⁰¹. Hoc manuscriptum, ex tabulario gentis Branicki in Sucha proveniens, nunc Varsaviae in AGAD (**Sucha ms. 22/32**) custoditur.

Manuscripta, ex amissa collectione Rogalinensi provenientia, fundatum fuerunt editionis primorum quinque voluminum *Actorum Tomicianorum*, Posnaniae a. 1852 a Tito Działyński inchoatae. Inde a medio volumine VII etiam collectio Jagellonica usurpari copta est (a Ludovico König, Titi Działyński adiutore). Quae tamen editio parum accurata erat²⁰². Sed cum a. 1876 munus editoris Sigismundo Celichowski commissum esset (vol. 9-13), qui etiam Thecis Gorsianis uti cooperat, pondus et momentum totius incepit valde crevit²⁰³. Editio, hactenus 17 voluminibus constans, continuatur.

Ad nuntiaturam Zachariae Ferreri illustrandam non parvi momenti est **Tabularium Regiomontanum Ordinis Theutonicorum** (Ordensbriefarchiv), nunc Berolini custoditum (GStAPK). In quo tam omnes epistulae originales huius nuntii et eius socii Ioannis de Tedaldis ad magnum magistrum Albertum Hohenzollern datae, quam concepta seu minutae responsorum ad easdem, asservata sunt. Diligenter ordinata et singula suis numeris signata, omnia scripta in scriniis ad hoc institutis servantur (Kästen 443-477 passim) et accurato indice, ab Erico Joachim curato, praedita sunt²⁰⁴.

Valde etiam pretiosa regista documentorum Zachariae Ferreri nullo negotio adire potuimus, utpote quae in Acta Officialia dioecesis **Cracoviensis** (in **Archivo Metropolitano** servata) et **Plocensis** (in **Archivo Dioecesano**) relata sunt²⁰⁵. Per pauca vero originalia diplomata membranacea, a nuntio illo edita, in collectionibus servata sunt, quae ad eos, ad quos litterae dabantur, non pertinebant. Ex quibus haud dubie primo loco ponenda sunt

²⁰⁰ Vide Ryszard Marciniak, Michał Muszyński, Jacek Wiesiółowski, *Katalog rękopisów staropolskich Biblioteki Kórnickiej, XVI-XVIII w.* [Catalogus veterum manuscriptorum Polonicorum in Bibliotheca Cornicensi servatorum, saec. XVI-XVIII], T. 2, Wrocław 1985, p. 1-5 et passim. Cfr. Marciniak, p. 200-244.

²⁰¹ Marciniak, p. 49-50.

²⁰² Inter multas res neglegentiae editoris tribuendas id etiam nominandum est, quod litteras ad card. Caietanum scriptas Ioanni Buglio attribuit (vide Działyński ATVI, p. 314).

²⁰³ Vide Władysław Pociecha, *introductio ad Acta Tomiciana*, T. 14, Poznań 1952, p. VI-VIII.

²⁰⁴ Vide Joachim-Hubatsch RHD I/3, cfr. Joachim PHA II.

²⁰⁵ Vide Ferreri N. 11, 28 et 42.

membranacea diplomata, in **Bibliotheca Centrali Academiae Scientiarum Lithuanae Vilnae** reperta, ad quae nobis nuperrime ab eius moderatoribus aditus humaniter permissus est²⁰⁶. Casu prorsus fortuito reperta est pretiosissima, ad cognoscenda exordia nuntiaturae apostolicae in Polonia quod attinet, relatio congregationis cardinalium, a Leone X institutae, ut de muniberis et officiis primi nuntii a. 1519 in Poloniam mittendi disputationerent²⁰⁷.

*

Necessitas in uno eodemque volumine publicandi acta et epistulas 11 nuntiorum effecit, ut editor se coactum sentiret a quibusdam regulis recedere, quae in instructione ad totam editionum nostrarum seriem semel statutae et acceptae sunt²⁰⁸. Itaque imprimis fieri non potuit, ut singulorum nuntiorum epistulis et actis appendices adicerentur. Propterea documenta, etiamsi a nuntiis scripta vel ad eos missa non essent, alicuius tamen ad nuntiaturam eorum illustrandam essent ponderis ac momenti, in corpus epistularum et actorum uniuscuiusque nuntii inserta sunt. Similiter rarissime tantum recessum est a regula, iuxta quam originalis scribendi ratio talis servari debet, qualis in singulis documentis occurrit. Lingua enim Italica, qua nuntii prima saeculi XVI parte utebantur, tunc temporis adhuc satis inconstans est et anomaliis plena (itaque ex. gr. Ioannes Franciscus Cito in principio propositionum adiunctarum saepissime omittit coniunctionem "che") et dicendi modis abundat, qui singularum regionum proprii sunt (quibus praesertim Crnić et Buglio libenter utuntur). Huiusmodi anomalies et peculiares scribendi modos intactos reliquimus, tum solummodo eos significantes, cum primum occurrunt. Originalem etiam litterarum maiuscularum et minuscularum usum maxima ex parte integrum servavimus, in iis tantum scriptis constantia quadam introducta, quae ab unis eisdemque auctoribus proveniunt. Litteras tamen grandes semper adhibuimus in scribendis nominibus propriis et substantivis "Deus", "Dio", "Signore", praesertim in epistulis Nicolai Fabro, qui his casibus fere semper minusculis utitur, et Ioannis Francisci Buglio, qui - cum Latine scribit - eas semper usurpat²⁰⁹.

Henricus Damianus Wojtylska CP

Latine vertit Lucianus Olech

²⁰⁶ Vide Ferreri N. 31, 35, 36.

²⁰⁷ Cfr. Ferreri N. 2.

²⁰⁸ Vide Wojtylska ANP I, p. 187-189.

²⁰⁹ Vide e.g. notam in p. 212 (Buglio N. 30).